



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Liber IV. De Temperantia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

LIBER QVARTVS
DE
QVARTA VIRTUTE
CARDINALI
TEMPERANTIA.

HIC liber constabit quatuor capitibus. Primum erit de Temperantia eiusque partibus in genere. Secundum, De speciebus Temperantia, seu partibus illi subiectis, Abstinentia, Sobrietate, Castitate, & Virginitate. Tertium, De vitis, quæ Temperantia speciebus aduersantur; scilicet Gula, Ebrietate, Luxuria. Quartum, De virtutibus Temperantia annexis, Continentia, Clementia, Modestia, vitisque oppositis.

CAPVT PRIMVM.

De Temperantia, eiusque partibus in genere.

Habet Dubitationes 4.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit Temperantia, & quod eius officium.

D. Thomas quæst. 141.

1
Temperantia dupliciter accipitur.



TEMPERANTIA, Græcè *σωφροσύνη*, dupliciter accipitur, vt notat D. Thomas a. 2. in corp. Primò, Secundùm amplitudinem suæ significationis, pro virtute, quæ refranat affectum ab his, quæ ipsum contra præscriptum rationis alliciunt. Temperantia enim insinuat quamdam temperiem & moderationem, quam ratio actionibus & affectibus humanis imponit. quo modo non est virtus specialis; nam omnis virtus moralis id præstat. Iustitia enim retrahit affectum à furtis, à rapinis, ab iniquis contractibus, & similibus, quæ ipsum ratione lucri ad se trahunt: fortitudo, à fuga: magnanimitas, à sectandis rebus caducis, & honoribus humanis, &c.

2 Secundò, Strictè, & *ἡμετέριον*, pro virtute, quæ refranat appetitum in his quæ maximè alliciunt: & sic est virtus magis specialis, & cardinalis, de qua hinc agendum.

Materia.

Huius virtutis materia sunt delectationes corporales, non omnes, sed quæ tactu percipiuntur ex esulentis, & poculentis, & rebus venereis.

3 Vbi Notandum est ex Aristotele 3. Ethicorum

c. 10. quæsdam delectationes esse spirituales, quasdam corporales. Spirituales dicuntur quæ sequuntur operationem mentis, vel phantasie, vt sunt omnes, quæ ex contemplatione rerum diuinarum, vel naturalium, vel cuiusvis veritatis nascuntur. Item ex honoribus, & fabularum narratione, &c. circa huiusmodi non est propriè temperantia: nemo enim dicitur temperans, aut intemperans, quòd huiusmodi oblectationes moderatè, vel præter modum quærat, sed vel curiosus, vel ambitiosus, vel alio nomine. Impropriè tamen & metaphoricè possunt dici intemperantes, qui in rebus spiritualibus sensibilem quamdam suauitatem nimium sectantur; quasi hæc sit præcipuus illius fructus: non quòd talis delectatio sit mala, vel prohibita; sed quia plurtis, quàm oportet, æstimatur, & solidæ virtuti præponitur.

Delectationes duplices.

Corporales sunt quæ capiuntur per sensus externos. sed neque circa has omnes versatur hæc virtus: quia nemo iudicatur temperans aut intemperans, quòd a spectu calorum & figurarum, aut cantu, aut odoribus moderatè aut immodicè delectetur; nisi quatenus hæc incitant ad delectationes gustatus, vel tactus. restant igitur horum duorum sensuum voluptates; inter quas & illas hæc est

Delectationes corporales.

est differentia, quod hæc sunt homini cum reliquis animalibus communes, reliquorum verò sensuum homini propria. solus enim homo delectatur coloribus, & vocibus, & odoribus, propter ipsam obiectorum suauitatem, & perfectionem, absque vllò respectu ad voluptates tactus aut gustatus: cetera verò animalia nequaquam; sed solum ut hæc imaginationem cibi aut commixtionis ingerunt, horumque simul cupiditatem excitant. non enim lupo delectatur figura ouis per se, aut balatu, aut odore, sed esca; & illis per accidens tantum, quatenus apprehensionem esca vicinæ concitant. Sic aues cantu, non ob dulcedinem & proportionem, sed ut excitat ad coniunctionem: cuius signum est, quod non delectentur nisi voce sui generis; non enim passer cantu luscinia, sed suæ speciei gaudet, ei que respondet.

4
Voluptates
gustus &
tactus.

Igitur temperantia primario versatur in voluptatibus gustus & tactus moderandis: hæc enim & vehementissimæ sunt, & à ratione longissimè abducunt; sunt enim nobis cum bestiis communes, & ea parte, quæ cum illis convenimus, percipiuntur: unde etiam maximè turpitudinem, & dedecus coniunctum habent, cum similes brutis faciant. quare maximè necessaria fuit virtus quæ has frænaret, & secundum rationis præscriptum, (quæ humanarum actionum est mensura) ut homine sint digna, moderaretur. Secundario tamen etiã in oblectatione aliorum sensuum; nimirum quatenus horum oblecta ad voluptatem tactus vel gustatus, mediante imaginatione, incitant: eiusdem enim virtutis est, moderari finem, & ea quæ sunt ad finem.

5
Aduerte tamen, voluptatem gustatus, si per se & solitariè spectetur, non esse sufficientem materiam temperantia; tum quia hæc non magni æstimatur, neque magnam difficultatem adfert, ut patet in iis, qui vina probandi causâ degustant, aut obsonia condiunt; tum quia non dicitur quis intemperans (Græcis ἀσώτας) quod in deliciis ciborum, & saporum oblectamentis excedat, si in aliis modum seruet; sed delicatus & τρυφώδης: tum quia præcipua oblectatio cibi & potus non est in gustando, sed in fruendo; quæ fructio fit per contactum, maximè dum traiciuntur per œsophagum. Vnde helluo quidam Philoxenus nomine, optabat sibi collum longius collo gruis, ut qui contactu cibi, quam gustatu magis delectaretur, ut Aristoteles 3. Ethic. c. 10. refert. Itaque hæc voluptas non sufficit, nisi accedat ea quæ est per sensum tangendi. Verum quia etiam ex saporibus per sensum gustatus magna voluptas capitur, & propter hanc multum intemperanter edunt & bibunt, vtramque ad materiam temperantia dicimus pertinere: maximè cum gustatio fiat per contactum, & Aristoteles dicat gustatum esse quemdam tactum.

6
Proxima
materia
temperan-
tia.

Ex his patet Primo, Quæ sit proxima huius virtutis materia, cui suam formam imprimit: cum enim circa delectabilia tactus, id est, esculenta, poculenta, & venerea versetur, ut in horum appetitione, delectatione & vsu externo modum rationis seruemus; sequitur, proximam temperantia materiam esse horum appetitionem & delectationem: his enim animi affectibus immediatè modum rationis imponit, eos frænando & coercendo, ne debitum modum excedant, ne vim menti inferant; sed tales sint, ut animi sui compotem, suæque sponis relinquunt.

Remotior, est ipse externus vsus: huic quoque

modum imponit, faciendo ut talis sit, qualis temperantem vitum decet.

Remotissima autem, sunt ipsa obiecta delectabilia.

Itaque officium temperantia est, moderatè se habere in illis delectabilibus, non solum vsu & actu externo, sed etiam affectibus internis; nimirum interius appetendo quantum, quale, vbi, quando, & quo modo oportet, & similiter exterius vsurpando; sicut principale officium fortitudinis, fortiter agere, non solum exterius in opere, sed etiam interius in affectibus. Idem docet D. Aug. lib. de Morib. Eccl. cap. 19. *Munus eius (temperantia) est in coercendis sedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea quæ nos auerunt à legibus Dei, & à fructu bonitatis eius, quod est beata vita.* Fufius & distinctius officium huius virtutis expressit D. Prosper l. 3. de vita contemplat. c. 19. *Temperantia, inquit, temperantem facit, abstinentem, parcum, sobrium, moderatū, pudicum, tacitum, serium, verecundum. hæc virtus si in animo habitat, libidines frænât, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia in nos confusa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes prauas remouet, inferi sanctas, igne libidinosæ voluptatis extinguunt, animi teporem desiderio future remuneracionis accendit, mentem placida tranquillitate componit, & totam semper ab omni vitiorum tempestate defendit, & c. vbi quædam functiones tribuit temperantia, (ut, cogitationes sanctas inferere, desideria sancta multiplicare, animi teporem accendere, mentem ab omni vitiorum tempestate defendere) nõ quod ipsa hos actus eliciat, sed quia est optima dispositio, hominem ad eos præparans, & expeditum reddens: facit enim mentem maximè idoneam rerum diuinarum meditationi; ex meditatione autem & ex consideratione omnes reliquæ virtutes procedunt: nam omnia panè vitia & peccata proueniunt ex defectu considerationis, quod bona & mala pro meritis non expendantur, vnde videmus, omnes panè Sanctos pro abstinentiam ad virtutum culmen peruenisse, eamque esse ceterarum veluti fundamentum. vnde Philo in libello de supplicum virtutibus; *Continentiam, primum tamquam fundamentum in anima collocant, deinde ceteras virtutes superstruunt;* & Menander ipsam ἀσώτης ταπεινός, penum virtutis vocat; quia omnis virtus ex illa facillè veluti ex quodam penu depromitur.*

8
Patet Secundò, Temperantiam meritò dici virtutem cardinalem seu principalem. sicut enim fortitudo est virtus cardinalis, quia confirmat animum aduersus ea, quæ inter omnia ardua contra rationem maximè absterrent; ita temperantia, quia coërcet in iis, quæ inter omnia omnia delectabilia maximè contra rationem alliciunt. sicut enim illa versatur in principali arduo & terribili, animum contra illud confirmando; ita hæc in principali delectabili, appetitum coërcendo.

DUBITATIO II.

Quæ sit regula temperantia statuenda.

Diuus Thomas art. 6.

9
R espondo, Hanc à sanctis Patribus & Scriptura sacra statui in ipsa rerum ad hæc vitam & hu-

Regula
temperan-
tia.

& huius vitæ officia pertinentium necessitate. Ita D. Augustinus lib. de Moribus Ecclesiæ c. 21. *Habet, inquit, vir temperans, in huiusmodi rebus mortalibus & sumentibus, vitæ regulam, utroque T estamento firmatam; ut eorum nihil delingat, nihil per se appetendum putet; sed ad vitæ huius atque officiorum necessitatem, quantum satis est usurpet, utentis modestia, non amantis affectu.* vbi nota illud, *Vita & officiorum necessitatem.* Hieronymus in cap. 44. Ezech. explicans illud, *Et dices ad exasperantem: Caro similiter circumciditur, ut nequaquam faciamus terrena opera, quæ pro necessitate corporis facere compellimur, cibum capere, & potum & somnum, & uti vestibus: quæ tunc circumcidimus, si non ad delicias & ad luxuriam, & ad inerciam, sed ad necessitatem naturæ, & corporis istius sustentaculum cuncta faciamus, qui bibit vinum modicam propter stomachum & frequenter infirmitates, & odit ebrietatem, circumcidit carnem suam, &c.* Idem tradunt alij.

Necessitas
qua.

Hic tamen sub necessitate intelligunt etiam utilitatem & convenientiam. non enim illud solum dicitur necessarium vitæ humanae, eiusque officii, sine quo vivere, aut ea officia obire non potes, sed etiam sine quo non potes commodè & convenienter tuo statui, spectata conditione loci, personarum quibuscumque viuis, & negotiorum occurrentium. Eodem pertinent multæ sententiæ Scripturarum, Ecclesiastici 29. *Initium vitæ hominis aqua & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem.* Initium, id est, caput & summa eorum quæ vitæ hominis sunt necessaria, simili phrasi dictum est Psalm. 110. *Initium sapientiæ timor Domini.* & Psalm. 118. *Principium verborum tuorum veritas.* 1. ad Cor. 7. *Hoc itaque dico, fratres: tempus breve est: reliquum est ut & qui habent uxores, tamquam non habentes sint, & qui gaudent, tamquam non gaudentes, & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: proterit enim figura huius mundi.* & 1. ad Tim. 6. *Habentes alimenta, & quibus regamur, his contenti simus.* & similia.

Vt autem clariùs quænam sit temperantiæ regula intelligatur,

10
Explicatur
clariùs.

Notandum est, aliam esse eius regulam ut versatur in esculentis & poculentis; aliam ut in venereis. nam alius debet esse finis in horum vsu, alius in illorum. Ut igitur circa cibum & potum versatur, eius regula sumenda est ex fine, ob quem illa vsurpantur: hic autem est bona corporis valetudo, & mentis ad suas functiones idonea dispositio; quorum vtrumque indicavit D. Augustinus illis verbis, *ad vitæ & officiorum necessitatem.* ob hanc enim causam, & quatenus ad hunc finem expedit, secundum rectam rationem est edendum & bibendum; non amplius, nec alio modo: nisi forte in aliquo casu, vbi id necessarium foret ad finem maioris momenti: (v. g. ad euadendam mortem, vel aliud graue malum.) Nec etiam minus, nisi ob similem causam; vel nisi finis altior intendatur, v. g. satisfactio pro peccatis, &c. Ratio est, quia cibus & potus, & omnis voluptas quæ est in illis, à naturâ, seu à Deo naturæ conditore ordinata est ad corporis assiduam, quas calor efficit, ruinas sarcinandas; illudque quantum ista mortalitas patitur, in sua integritate & vigore conseruandum. corporis autem bona constitutio est propter animæ functiones; nam si corpus corruptibile aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem; multò magis id fa-

cit si mala affectio accesserit. quare mensura in appetitione, delectatione & vsu ciborum seruanda, ex hoc fine sumenda est. Itaque qui plus comedit aut bibit, vel sapiùs, vel alio modo, vel res alias quàm congruit valetudini, aut mentis functionibus, non seruat temperantiæ regulam. Idem dicendum de eo, qui solius voluptatis causâ; vt ex testimonio D. Augustini colligitur. appetere enim vel facere aliquid solius voluptatis causâ, etiam si ea licita sit, non est opus virtutis, aut vlla laude dignum; quia hoc motiuum non est per se honestum, sed inferioris ordinis; quale etiam in brutis locum habeat.

Qua verò parte versatur in re venerea, temperantiæ regula extra coniugium est, ab his penitus abstinere: in coniugio eatenus vti, quatenus expedit prolis causâ, non voluptatis. vide D. Augustinum lib. de bono coniugali, cap. 6. & 7.

DVBITATIO III.

Quæ vitia temperantiæ in genere aduersentur.

D. Thomas quest. 137.

Respondeo, hæc duo ei aduersari, *Intemperantiam & Stuporem.* hoc D. Thomas vocat

Insensibilitatem; id enim sonat *avausencia*, quod Latine vitiùs *stupor* dicitur. *Stupidi* enim dicuntur, qui parum sentiunt. Illud opponitur temperantiæ per excessum, hoc per defectum. *Stupor* enim est, cum quis ita auersatur & fugit delectationes tactus & gustus, vt noliteis vti, quando, vel vbi, vel quantum secundum rectam rationem oportet: quod vitium rarum est. pauci enim in voluptatibus idèd peccant, quòd parum eas expetant, vt Aristoteles ait libro 2. Ethic. cap. 7. Erit peccatum mortiferum, si ex eo pratermittat quis id, ad quod sub peccato mortifero obligatur; quale est reddere debitum coniugi exigenti, sumere cibum ad vitam necessarium. Veniale, si ad illud obligetur sub veniali. Vide Caietanum verb. *Insensibilitas.* Denique peccatum erit, saltem veniale, quamuis non obligetur, si omnem delectationem gustatus fugere velit, tamquam per se malam & peccatum; nisi ignorantia excuset: quia hoc iudicium est contra rectam rationem, & ex falso fundamento procedit, est enim delectatio illa per se bonum indifferens; non autem bonum vel malum morale. Secus, si ob aliquam iustam causam, v. g. causâ castigandi corporis, satisfaciendi pro peccatis, &c. sicut multi Sanctorum fecère.

12

Quale peccatum.

Intemperantia (Aristoteli *επαρσια*) est excessus in concupiscendis vel fruendis delectationibus gustus vel tactus; vt cum appetuntur, vel vsurpantur, quando vel vbi non oportet, vel plusquam oportet, vel non eo modo quo oportet, vel quas non oportet. estque peccatum mortiferum; aut veniale, pro conditione materiæ in qua versatur, vt infra ex speciebus eius constabit.

13

Intemperantia.

Notandum autem Primò, hoc vitium inter omnia vitia humana esse maximè probrosum & in fame; vt docet Aristoteles 3. Ethic. cap. 12. Ratio est, tum quia homo vincitur à delectationibus infimis, quas cum brutis habet communes; & ita similis fit brutis, & in eorum ordinem redigitur, humanæ naturæ dignitate, & rationis luce

14

Est vitium probrosissimum.

veluti extincta, fit mancipium ventris & gulæ, & rerum vilissimarum seruus: à quo enim quis vitus est, huius & seruus efficitur, Apostolo teste; tum quia in illis voluptatibus fruendis, nihil, sicut in aliis vitiis, elucet ingenij, nihil industriæ, nihil generositatis, nihil quod hominem deceat, sed brutus sine ratione impetus, & cæca sui ad pastum & venerem abiectio. Dixi, inter vitia humana, id est, quæ hominis naturæ aliquo modo sunt conformia; quia magis probrosa sunt quæ à natura humana profus abhorrent; vt delectari esca carnis humanæ, vel brutorum aut maledorum concubitu: quæ vitia Aristoteli lib. 7. Ethic. c. 5. non sunt humana, sed ferina, vel morbosa, (quia ex prava dispositione, & corrupta phantasia fit vt videantur delectabilia, à quibus natura alias maximè abhorret) & ideo sunt peiora quam simplex intemperantia. non tamen negat ea ad intemperantiam pertinere: sed potius vult in illis summam intemperantiam esse, vt quæ modum humanum excedat.

15
Esse vitium puerile.

Notandum Secundò, Idem vitium ab Aristotele libro 3. Ethic. cap. 12. ad puerilia vitia referri; quia concupiscentia est similis puero; idque ob quatuor causas, quas ibi attingit. Primò, Quia sicut puer impetu fertur ad ea quæ oblectant, abique rationis directione, ita concupiscentia. Secundò, Puer si suo arbitrio permittatur, crescit in propria voluntate, magisque fit indies rebellis, iuxta illud Ecclesiastici 30. *Equus indomitus euadit durus, & filius remissus euadit princeps*: concupiscentia, si suis motibus linatur, augetur indies, magisque fit rationi refractaria. Tertio, Puer emendatur, si coërceatur: concupiscentia, si coërceatur & comprimatur, ad debitum honestatis modum perducitur. Quarto, Puer debet viuere ex præscripto pedagogi; concupiscens animæ facultas, ex imperio rationis.

DVBITATIO IV.

Quæ sint partes temperantiæ.

D. Thomas q. 143.

16
Integrantes.

Diuus Thomas partes triplices statuit huius virtutis, sicut supra fortitudinis; integrantes, subiectiuas, & potentiales. *Integrantes* duas, *verecundiam* & *honestatem*: nam integrum officium temperantiæ duabus partibus constat, fugâ turpitudinis intemperantiæ, & amore decoris temperantiæ: ad fugam turpitudinis iuuat *verecundia*; ad amorem decoris, *honestas*.

Verecundia.

Vbi aduerte, *verecundiam* non esse propriè virtutem, sed passionem; dici tamen latè virtutem, quatenus laudabile est fugere turpia & probro digna; quod facit hæc passio. est enim timor probri ex consideratione rei vel facti turpis seu probrosi. Itaque cum probrum fugiat, facit etiam vt vitemus ea quæ probro sunt digna; qualia maximè sunt peccata intemperantiæ: & hac ratione iuuat virtutem temperantiæ, estque aliqualis ad eam dispositio.

17
Honestum.

Honestum in moralibus dupliciter accipitur. Primò, Generatim, & sic conuenit omni operi virtutis: nam ratio honesti moralis consistit in conformitate cum iudicio rectæ rationis, tamquam regulâ operationis naturæ rationalis; & cum ipsa natura rationali vt fundamento illius regulæ.

Hæc autem conformitas rationem virtutis constituit in operibus humanis, ac proinde reperitur in omni actu virtutis: differt autem à ratione delectabilis, quæ est in eodem opere, consideratione. Ratio enim delectabilis in eo sita est, quòd aptum sit parere delectationem; ratio honesti, in conformitate cum iudicio recto. Verum hæc est causa & fundamentum illius in opere virtutis: quia delectatio sequitur ex eo, quòd obiectum sit conforme. Itaque honestum, cum sit conforme rationi, erit etiam delectabile rationali parti; sicut ea quæ sensibus sunt consentanea, sunt delectabilia parti sensitivæ: omnis enim delectabilitas nascitur ex conformitate & consensione, vel cum ratione, vel cum sensu, vel cum natura, vel cum aliqua dispositione ingenitæ, aut acquiritæ naturæ sentientis, aut intelligentis.

Secundò, Capitur honestum strictè, pro eo in quo peculiari ter elucet decor temperantiæ. hic autem decor elucet, Primò, In operibus temperantiæ: hæc enim habent peculiarem pulchritudinem, quatenus excludunt ea quæ hominem maximè dedecorant, vt sunt voluptates brutorum. Secundò, In ipso habitu virtutis, quatenus ad opera temperantiæ inclinatur. Tertio, In quadam inclinatione speciali, quam quidam habent ad castitatem; & alia temperantiæ opera: videntur enim quidam natura casti & sobrii. Si primo modo spectetur, est conditio quædam operum temperantiæ. Si secundo modo, sic potest dici pars temperantiæ; quia reipsa non videtur distingui ab habitu, sed esse ipsemet habitus temperantiæ inadequatè conceptus; quatenus nimirum inclinatur ad honestum sui generis. sicut enim sunt duo officia huius virtutis, fugere turpia, & sectari honesta; ita etiam possunt duas eius partes statui vt ad hæc se extendit. Si tertio modo, sic etiam potest dici pars temperantiæ, quia iuuat ad sectandum temperantiæ decus; sicut verecundia iuuat ad fugiendam eius turpitudinem. Vide diuum Thomam qu. 143. ar. 4. vbi satis breuiter & obscure hanc rem expedit.

Partes subiectiuæ, seu species temperantiæ sunt, *abstinentia*, *sobrietas*, *castitas*, & *puicitia*: quod ex D. Thoma sic ostendi potest. Species enim virtutum, distinctionem accipiunt ex ordine ad diuersa obiecta vel materias; materia autem temperantiæ sunt delectationes tactus, quarum duo sunt genera: quædam enim pertinent ad alimentum, quod constat cibo & potu; & in his quoad cibum, est *abstinentia*; quoad potum, *sobrietas*. Alia delectationes pertinent ad vim gignendi; quarum alia est principalis ex ipso actu coniunctionis; & circa hanc versatur *castitas*. Alia secundariæ, ex oculis, tactibus, amplexibus: circa has est *puicitia*.

Ex quibus patet, temperantiam, secundum D. Thomam, non sic esse virtutem specialem, quasi sit species specialissima; (cum alias species sub se complectatur) sed quia non est communis, sicut quando significat communem virtutis conditionem; nec ad materiam alterius generis se extendit.

Partes potentiales temperantiæ sunt virtutes quædam secundariæ, quæ modum illum, quem tenent temperantia seruat in frænanda cupiditate circa maximas & principales voluptates, retinent circa materias secundarias. Itaque omnis virtus refrænans appetitum in aliquid inordinatè tendentem, & efficiens

Delectabile.

Honestum est fundamentum delectabile.

Honestum strictum.

Partes subiectiuæ quatuor.

20

lex.

efficiens in aliqua materia moderationem, potest dici pars temperantiae, seu virtus ei adiuncta. Tribus autem modis potest fieri haec moderatio. Primo, In motibus animi internis. Secundo, In motibus externis. Tertio, In rebus externis. Motus interni, quibus anima profectur aliquid, (præter concupiscentiam, quam moderatur temperantia) sunt tres. Primus est, Motus voluntatis concitate impetu passionis: & hunc refrænat continentia; qua fit vt licet pars inferior patiat magnos impetus concupiscentiæ, superior tamen non vincatur. Secundus est, Motus spei, tendentis inordinatè in excellentiam aliquam: hunc refrænat humilitas. Tertius est, Motus iræ tendens in vindic-

tam: hunc coërcet mansuetudo, cui affinis est clementia. Externa autem quæ moderatione indigent, sunt duo, motus externi, & cultus externus. Motus externos (sub quibus etiam verba intellige) temperat virtus quædam, quæ modestia morum dici potest. Cultum autem externum & omnem apparatus externum regit alia virtus, quam modestiam cultus vocare possumus. Itaque partes potentiales temperantiae sunt continentia, humilitas, mansuetudo, clementia, & modestia duplex. Interdum tamen modestia accipitur generalius, vt contineat etiam humilitatem & studiositatem, vt patet ex D. Thoma q. 143. & 160. art. 2. vbi quatuor ponit species modestiæ.

CAPVT II.

De speciebus Temperantiæ, Abstinentiæ, Sobrietate, Castitate, Pudicitia.

Habet Dubitationes 16.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit abstinentia.

D. Thomas quæst. 146.

Abstinentia.



ABSTINENTIA in materia temperantiae significat propriè alimentorum subtractionem, quæ maior sit, quàm ratio temperantiae per se postulet. non enim qui temperatè bis vescitur carnibus per diem, sumpto fortè manè ientaculo, dicitur abstinere, vel esse abstinens, sed temperans. vnde propriè significat maiorem quendam & insigniorem virtutis temperantiæ, circa cibos versantis, actum, & hanc ipsam virtutem, qua parte ad talem actum se extendit. hoc modo passim accipitur à Patribus, qui de abstinentia loquuntur, & 2. Pet. 1. *Mimistrate in scientia abstinentiam.* Tamen D. Thomas hoc loco accipit hoc nomen vt significet integram virtutem temperantiæ circa cibos; quæ aliquin nomine specifico caret, & solet nomine communi temperantiæ appellari.

Quid sit.

Abstinentia igitur hoc modo accepta, est virtus, cupiditates & delectationes esculentorum inordinatas refrænans, & in ipso vsu debitam moderationem constituens. *Inordinata* autem illæ esse possunt, vel quia trahunt ad id quod est illicitum, (v.g. ad vescendum cibo vetito) vel loco aut tempore incongruo; vel ad nimiam quantitatem; vel ad modum indecorum; vel quia nimis sunt vehementes & importuna; non sinentes hominem aliud quàm de cibo & ventre cogitare. Hæc igitur omnia refecat & tollit virtus abstinentiæ. facit autem hoc eo modo, quo ratio & appetitus superior rationi conformis, appetitum inferiorem regere & coërcere solet, de quo supra lib. 3. cap. 1. num. 5. & 6. & 1. 2. q. 9. ar. 2.

Debita moderatio in ipso vsu requisita est, quæ valetudini & officio mentis congruit. vnde diuus Augustinus libro 10. Confess. cap. 31. *Hoc me docuisti, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta*

sumpturus accedam. vel certè quæ congruit castigationi corporis & carni (subiuganda spiritui, absque notabili valetudinis læsione. etsi enim delectationes ciborum non sint appetendæ aut vsurpandæ, nisi quatenus valetudini corporis & idoneæ dispositioni mentis ad suas functiones obeundas congruit; (nisi fortè in casu aliquo particulari, ob causam extrinsecam ratio aliud poscat) tamen hæc mensura non semper est seruanda in illis subtrahendis; possunt enim occurrere circumstantiæ & iustæ causæ, ob quas expediat abstinere etiam plus quàm valetudini congruit, v.g. vt caro castigetur & spiritui subiciatur; vt pro peccatis satisfiat, &c. etiam si vires corporis minuantur: modò tamen non grauiter breui tempore valetudo frangatur, ita vt mens reddatur ad suas functiones ineptior: ea enim bona est corporis valetudo, quæ optimè menti seruit; nam corpus est propter animæ functiones.

Notandum tamen est, quando abstinentia est maior quàm ratio temperantiæ per se postulat, non semper illam fieri ex affectu virtutis, quæ sit species temperantiæ; ac proinde nec esse semper actum talis speciei formaliter: si enim fiat tantum affectu placendi Deo, erit formaliter opus charitatis; si vt satisfacias pro peccatis, erit opus penitentiae; si vt carnem subicias spiritui, erit opus castitatis, huius enim est frangere libidinem, ac motus carnis inde sequentes, & facere illam rationi parère; si autem quia congruit tibi ad hoc vt mens sit magis idonea ad suas functiones, sic erit propriè actus huius virtutis. Ex cuiuscumque tamen virtutis affectu procedat, semper dicetur actus temperantiæ & abstinentiæ; quia est actus virtutis in materia abstinentiæ.

Porro qui abstinentiæ sunt dediti, his duo vitia potissimum vitanda sunt, *impatientia & superbia;* vt ele-

4
Ex vitia
virtutis
affectu fieri
potest.

vt eleganter docet D. Gregorius, 3. parte Pastoralis, admonit. 20. *Impatientia* quidem, quia abstinentia exsiccat corpus, humores accendit, & biliosos efficit. *Superbia* verò, quia magni aestimantur ab hominibus: est enim res vulgo ardua, foris apparens, & speciem eximie sanctitatis præ se ferens. vide plura hac de re loco notato, & apud D. Augustinum lib. 10. Confess. cap. 30.

DUBITATIO II.

Quid sit ieiunium, & quoniam ad eius legitimum observationem requirantur.

D. Thomas q. 147.

6 **N**omen *ieiunij* abstinentiam ciborum importat: vnde per metaphoram transfertur ad abstinentiam vitiorum. Sic D. Basilius Hom. 1. de ieiunio dixit: *Verum ieiunium est, ab omnibus vitiis esse alienum.* & D. Augustinus Tract. 17. in Ioanem: *Ieiunium magnum & generale est, abstinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus seculi.*

Ieiunium quid.

Propriè autem significat maiorem quamdam victus parsimoniam & abstinentiam, quam communis temperantia regula postulet: *maiores* inquam, tum temporis diuturnitate, tum ciborum qualitate: vt enim quis propriè dicatur ieiunare, aut ieiunium colere iuxta modum loquendi Scripturæ & SS. Patrum, requiruntur hæc duo, abstinentia longior, & victus ratio durior. vnde Danielis 10. de tali ieiunio dicitur: *Panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum.*

7 Potest hoc variis modis fieri, vt patet ex gestis Eremitarum & Monachorum; quorum plerique solo pane & sale ad cibum, & aqua ad potum utebantur: alij etiam pane abstinebant, radicibus, herbis, vel leguminibus contenti: alij semel in die, idque ad vesperam reficiebantur: alij alternis: alij duobus, tribus, quatuor, aut pluribus interpositis; sicut Simeon Stylites, qui extra tempus Quadragesimæ, solum octauo die cibum sumebat, lupinos nimitum aqua maceratos: per totum tempus Quadragesimæ: nihil omnino, vt refert Theodoretus in Vita ipsius. Quod si fiat eo modo, quo Ecclesia omnibus fidelibus præscribit, dicetur propriè *ieiunium ecclesiasticum.*

Ieiunium ecclesiasticum.

Tria requirit.

8 Vt autem eo modo fiat, tria requiruntur. Primò, Abstinentia ciborum certi generis. Secundò, Abstinentia plurium refectioinum. Tertio, Certa refectioinis hora.

Cibi à quibus abstinendum.

Quod ad primum attinet, cibi à quibus abstinendum, sunt in primis carnes vulgò dictæ; nempe vt carnes distinguuntur à piscibus. nam & pisces suam carnem habent, sed vulgò caro non vocatur. Secundo loco, oua; sed tempore Quadragesimæ; nam extra hoc tempus Iure communi non sunt vetita, sed solæ carnes, teste diuo Thomas art. vlt. quibusdam tamen locis consuetudo ea non permittit in ieiuniis, etiam extra Quadragesimam, vt in Hispania, & quibusdam partibus Gallia, teste Nauarr. cap. 2 i. num. 15, vnde ibi ab illis abstinendum. Tertio, lacticinia: sed Iure communi solum tempore Quadragesimæ vetantur, extra illud permittuntur. quibusdam tamen locis consuetudo permittit lacticinia, etiam in Quadra-

gesima, exceptis paucis diebus, vt in Belgio: aliis non permittit, etiam extra Quadragesimam, sicut de ouis dictum est.

Porro hæc tria genera prohiberi tempore Quadragesimæ, patet cap. 7. Denique, dist. 4. ex Gregorio 1. *Par est, vt nos, qui his diebus a carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementiuam trahunt originem carnis, ieiunemus; a lacte videlicet, caseo, & ouis.* Verùm consuetudo hæc mitigare, sicut & alia Iura humana, potuit; cuius quantitas sit auctoritas in Ecclesia, docet D. Augustinus Epist. 68. ad Casulanum, & 119. ad Ianuarium. Itaque generatim dicendum est, ab illis cibis abstinendum tempore ieiunij, quorum vsum consuetudo loci non permittit. secus de ijs, quos permittit. Neque requiritur, vt consuetudo Ius commune relaxans, quadraginta annorum spatio bona fide fuerit obseruata, sed sufficit aliquot annorum spatium, si Prælati, præsertim Summus Pontifex sciat & non contradicat: de quo supra cap. 6. dubit. 14. vide Medinam, de Ieiunio q. 8. Olim etiam a vino abstinebant, vt colligitur ex Cyrillo catechese 3. Theophilo Alex. Epist. 3. de cyclo Paschali, & Chrysof. Homil. 6. ad populum. Verùm modò non est obligatio talis abstinentiæ, saltem in Ecclesia Latina.

Secundò, Requiritur abstinentia plurium refectioinum, ita vt intra spatium diei naturalis non nisi semel corpus cibo reficiatur. hoc etfi Iure non videatur expressum, vsum tamen Ecclesiæ antiquissimus, & ratio ipsa docet: ita enim Ecclesia vult per ieiunium corpus castigari & concupiscentiam coerceri, vt tamen natura ipsa non notabiliter lædatur: læderetur autem, nisi vna refectio permittetur: & corpus non castigaretur, si permittentur duæ. Refectioinem intelligo sumptionem cibi ad alendum corpus.

Vna refectio.

Ex his inferunt Primò, Potus sumptionem crebriorem non vetari; vt notat D. Thomas art. 6. ad secundum: quia potus ordinatur potius ad cibi per corpus distributionem, & sanguinis refrigerium, quam vt per se corpus alat. quod si interdum alat, id per accidens est; & non tantum alit, quantum cibis. vnde Ecclesia eius rationem non habuit. quare etiam si quis eo fine vtratur, etiam immoderate, non violabit præceptum Ecclesiæ de ieiunio, etfi contra temperantiam peccet.

Sumptio potus.

Potes, Vtrum immoderato potus vel cibi vsum amittatur meritum ieiunij, sicut insinuat D. Thomas art. 6. ad 2.

Respondeo, Si tantus sit excessus vt peccet mortifere, amittit meritum ieiunij, sicut & aliorum bonorum operum. si autem non peccet mortifere, non amittit absolute, sed solum ex parte. quia qua parte voluntariè abstinet à cibis ventis, & à secunda refectioine propter Ecclesiæ præceptum, meretur; quod meritum non eliditur, etiam si in vsum cibi vel potus non seruet debitam moderationem. qua tamen parte excedit, non meretur. Idem videre est in pluribus aliis operibus externis, quæ multis partibus constant, vt in oratione, Sacro audiendo, distribuenda eleeosyna, concionando, studendo, &c.

An meritum perdat ieiunij.

Inferunt Secundò, Non prohiberi etiam vsum electuariorum, & conditorum; quia non sumuntur vt alimenta, sed vt medicamenta. nisi quis hæc sumat magna copia in fraudem ieiunij, vt diuus Thomas art. 6. ad 3. ait.

Infer-

11 Lectores.

Infertur Tertio, Excusari lectores, & ministros mensæ in Monasteriis, aliquid præsumentes, secundum Caietanum v. Ieiunium, & Nauarr. c. 21. num. 13. tum quia id faciunt ne vires notabiliter debilitentur: tum quia illud est inchoatio quædam prandij; & illa diuisio seu interpositio temporis fit ex iusta causa.

cenula.

Item fumentes collatiunculam vespertinam; etiam si id faciant non solum ne potus noceat, vt olim, sed etiam alendi causâ, & absque potu: quia consuetudo permittit. Ita Nauarrus & Caietanus supra, & Medina C. de ieiunio, q. 8. mensura autem huius est, quam pro varietate locorum & personarum, consuetudo recepta tenet. non tamen permissum est vt collatiuncula illa sumatur manè, aut meridie, cenâ in vespertinam dilatâ; iuxta Caietanum & Nauarrum supra: quia est contra ius; & consuetudo id non concedit, nisi fortè aliqua causa iusta subsit; vt ratione debilitatis, negotiorum per diem agendorum, studiorum, &c. Si tamen absque causa fiat, non erit nisi veniale, iuxta Toletum, libro 6. cap. 2. quia non violatur ieiunij substantia, sed solum circumstantia illius cenulæ mutatur.

Interruptio refectiois.

Infertur Quarto, Qui ante iustam refectioem auocatur, potest negotio illo absoluto perficere, donec satis habeat: nam ex intentione censetur vna solum refectio, secus si satis sumplerat, & surrexerit animo non redeundi: nisi fortè prandium adhuc duraret. tunc enim si mutata intentione rediret ad conuiuias à quibus recesserat, non censetur bis prandere; quia est vnicum prandium.

Infertur Quinto, Et si semel vel iterum comedere paucas buccellas extra tempus prandij non sit peccatum mortiferum, si tamen id sæpius fiat eodem die, v. g. septies vel octies, poterit esse peccatum mortiferum. Ratio est, quia crebre illa comestiuicula æquivalent notabili refectioi. Nam effectus singularum manet, & ita corroborant naturam, & tollunt ieiunij difficultatem, perinde ac si simul fierent. sicuti et si furtum vnius vel duorum assium, non sit nisi veniale; tamen si quis sæpè furtum vnius assis committeret, tandem peccaret mortifere; quia multi efficiunt quantitatem notabilem, cuius retentio est peccatum mortale.

12 Hora refectiois.

De tertio, Requiritur certa refectiois hora. hæc ex consuetudine iam passim recepta, est circa meridiem. olim erat circa nonam diei, id est, tertiam pomeridianam; vt colligitur cap. Solent, de Consecr. dist. 1. ex Concilio Cabilonensi: quæ consuetudo adhuc tempore D. Thomæ durabat, vt patet ex art. 7. Hanc horam dico requiri, non positiuè, quasi necesse sit ea hora cibum capere; quia possumus toto die abstinere, si velimus: sed negatiuè, ne videlicet ante illam sumamus, notabili temporis spatio illam præuertentes.

13

Petes, Vtrum notabilis anticipatio, v. g. per vnam vel duas horas, sit peccatum mortiferum? Plerique DD. putant esse peccatum mortale, si absque iusta causa fiat. Ita Couarruias libro 4. variat. cap. 20. num. 16. & Nauarr. cap. 21. num. 27. citant hi duo Auctores Glossam in cap. Vnum. dist. 25. v. Ieiunantibus. Sed vt notat Archidiaconus, Glossa querit, non asserit. Idem sentire videtur Paludanus distinct. 15. q. 4. art. 4. vbi dicit, notabili anticipatione sine causa facta, frangi ieiunium; & Caietanus in Summa, horam conue-

nientem tamquam vnam ex principalibus conditionibus requirit. Ratio esse potest, quia terminus ille præscriptus est, tamquam notabiliter faciens ad mortificationem carnis, & agens ieiunij difficultatem, & meritum: hoc autem tollitur illa præuentione.

Contraria tamen sententia, id esse tantum veniale peccatum, est probabilis; quam tenet Angelus verb. Ieiunium, num. 2. & Innocentius in Rubricam de Observat. ieiuniorum, n. 3. Alexander Halensis pag. 4. q. 103. m. 3. Palacius in Summam Caietani verb. Ieiunium, Toletus lib. 6. Instruct. cap. 2. & alij quidam recentiores. Ratio est, Quia non violatur substantia ieiunij; (quæ solum in duobus sita est; in abstinentia ciborum vitiorum, & abstinentia secundæ refectiois) sed circumstantia quædam accidentalis: quæ manente ieiunij substantia variari potest, & successu temporis magnam varietatem in Ecclesia habuit. Nec obstat quòd dilatio prandij multum videatur facere ad ieiunij difficultatem & carnis mortificationem: quia sicut anticipatio minuit difficultatem, quæ ante meridiem sentiri solet; ita auget eam, quæ percipitur ad vespertinam: & sic omnibus consideratis non notabiliter impedit mortificationem, quæ per ieiunium intenditur.

Quòd si iusta aliqua causa subsit, (v. g. si iter ineundum, si hospites dimittendi) non erit peccatum; vt Nauarrus supra & alij notarunt; addentes, quamuis honestam causam ad hoc sufficere. In multis Monasteriis ex privilegio vel consuetudine receptum est, vt sesquihora vel amplius ante meridiem in ieiunio prandeant.

Porrò ius est cuique pro arbitrio tempus refectiois prorogare, vt Caietanus notat; id enim ieiunij difficultatem auget; & conformius est moribus veteris Ecclesiæ: nam ex indulgentia hora vicinior concessa est.

D V B I T A T I O I I I.

Vtrum in ieiunio ita veniant plures refectioes, vt in singulis peccetur mortifere.

D. Thomas quæst. 147. art. 6.

Quidam docent toties peccari mortifere, quoties plus quam semel comeditur. Ita Ioannes à Neapoli, teste Angelo ver. Ieiunium, num. 22. quam sententiam Medina quæst. 5. de ieiunio, & Couarruias libro 4. variat. cap. 20. num. 13. putant probabiliorē. Probatur hæc sententia; nam in alijs omnibus rebus, quando vetamur aliquid sæpius quam semel vno eodemque die, vel intra certum tempus facere, non solum vetamur facere secundo, sed etiam tertio & quarto; sicut enim sacerdos vetatur sæpius quam semel eodem die celebrare, aut fidelis sæpius communicare; aut sæpius in vita baptizari, confirmari, aut ordinari; sæpius quam semel in eodem morbi statu iungi. his enim & similibus euentis, non solum secundo, sed etiam tertio & quarto actu peccatur contra præceptum. Accedit, quòd et si ieiunium non possit perfecte seruari post secundam refectioem, potest tamen imperfectè, scilicet reliqua diei parte.

Contraria tamen sententia est probabilior, Non peccari, saltem mortifere, nisi in secunda hanc

hanc tenet Durandus in 4. d. 15. q. 11. num. 9. Gabr. in 4. d. 16. q. 3. dubit. 5. Angelus v. Ieiunium, num. 22. vbi dicit hanc esse communio-rem, Siluest. eodem, num. 22. Caietan. in Summa, eodem, & q. 147. art. 8. Nauar. cap. 21. n. 14. quam passim sequuntur recentiores.

16 Probatum Primò, Quia nemo obligatur ad impossibile: at post secundam comestionem ieiunium est impossibile illo die; ergo. Ita Angelus. Sed hæc ratio videri possit parum firma: quia qui semel comedit carnes, non potest eo die seruare ieiunium, vt ab Ecclesia præscribitur; non tamen idè potest secundò comedere siue carnes, siue pisces. deinde, etiam si non possit seruare præceptum ieiunij quatenus vetat secundam comestionem, potest tamen seruare quatenus reliquas; sicut patet in simili de sacerdote, qui sine necessitate bis celebravit: etsi enim hic non possit seruare præceptum Ecclesiæ, quo prohibetur plusquam semel Sacrificium offerre; potest tamen illud seruare vt vetat tertiam, quartam, quintam oblationem.

Secundò probatur, Non vetantur plures comestiones absolute, sed solum vt per eas transgredimur limitem in ieiunio præstitutum, qui est vnica refectio: atqui per solum secundam hunc limitem transilimus: ergo solum secunda prohibetur. Confirmatur à simili: si certus limes constituatur, vltra quem veteris progredi, eò quòd oporteat intra illum consistere, parum interest (si illum transilias) vtrum decem, 20. an 100. passus vterius procedas. ita parum refert, si limitem ieiunij per secundam refectioem transeas, vtrum bis, ter, an quater comedas. Ita ferè Durandus & alij. Sed non satis explicant cur per solum secundam illum limitem transeamus.

17 Tertiò igitur probari potest, & clariùs, Plures refectioes non prohibentur in ieiunio, nisi quatenus earum abstinentia videtur pertinere ad mortificationem carnis: sed solum abstinentia à secunda videtur ad hoc aliquid valere; non autem à tertia vel quarta, nisi forte valde parum: passim enim homines extra tempus ieiunij (exceptis mechanicis) non nisi bis comedunt: & qui bis comedit, non potest, abstinendo à tertia, videri aliquid notabile facere, quod ad mortificationem carnis pertineat. Itaque sola secunda principaliter subtrahenda erat, vt ieiunij ratio constaret, non tertia, vel quarta. Confirm. Primò, Quia in confessione non solet explicari, nec rogari numerus refectioem; (quod tamen erat necessarium, si singula refectioes sunt peccata mortifera) sed simpliciter dici solet non seruatum ieiunium. Confirmatur Secundò, Qui ratione debilitatis vel ætatis excusatur à lege ieiunij, ita vt bis possit comedere, potest etiam ter vel quater comedere, vt passim DD. notant: quod signum est, in præcepto ieiunij non haberi rationem nisi secundæ refectiois. hic tamen non excusatur à ciborum vitiorum abstinentia; sed toties peccat, quoties illis vitur. harum enim abstinentia absolute præcipitur: quia siue vna, siue duabus aut tribus refectioibus vitaris, semper abstinentia carni ad mortificationem pertinet. Denique Ecclesia potuit hoc modo ieiunium instituire, & expediens erat ita fieri propter hominum fragilitatem.

Credibile tamen est, in tertia & quarta refectioe esse aliquod peccatum, saltem veniale: etsi

enim hæc non sint primariò prohibita, quasi earum abstinentia magnum ad corporis castigationem momentum habeat; tamen videntur prohibita secundariò: tum quia per eas longius itur vltra ieiunij limitem, & magis receditur à fine intrinseco ieiunij, quam per secundam solum, (vnde etiam communi hominum iudicio magis censetur violare ieiunij legem qui quater comedit, quam qui bis tantum) tum etiam quia illa abstinentia est nonnulla corporis castigatio, præsertim gula incitante.

18 Ex dictis inferunt aliqui Doctores, eum, qui die ieiunij sciens sumpsit ientaculum, siue id cum culpa fecerit, siue absque culpa, (vt causâ profectiois) non teneri eo die ieiunare, etiam si contingat non proficisci. Ratio est, Quia ieiunium iam est voluntariè violatum; vel certè causa violandi data, nec potest illud reparari. Ita Nauarrus c. 21. n. 27. Paludanus in 4. dist. 15. q. 4. art. 5. Vivaldus, de ieiunio, num. 60. Siluest. v. Ieiunium, num. 21. quæ sententia est probabilis; maximè si ponamus illum non posse reliquum diei sine cibo transigere; si enim id sine incommodo posset, videretur teneri; quia ieiunium adhuc quoad vnica refectioem seruari posset.

Quod autem Paludanus addit, talem teneri alio die ieiunare; passim ab omnibus rejicitur: nam omnia Ecclesiæ ieiunia sunt certis diebus affixa, tamquam proprii illorum cultus, sicut & festorum celebratio.

19 Qui verò nesciens esse ieiunium, manè comedit, tenetur reliquo tempore seruare ieiunium, eo modo quo alij, perinde ac si nihil sumpsisset: vnde potest cum alijs prandere. Ratio est, Quia illa prior comestio, cum prorsus fuerit inuoluntaria respectu violationis ieiunij, non computatur: non enim violatur præceptum nisi per actum aliquo modo voluntarium. Ita Nauarrus, Palud. Siluest. Vivaldus, supra.

Putarem tamen, illum non posse prandere cum alijs, aut cœnare, si commodè possit abstinere; quia tunc absolute posset seruare ieiunium, quoad vnica refectioem. deinde si potest prandere, cur non potest etiam cœnare, sicut ille qui absque culpa sumpsit ientaculum causâ profectiois, & postea non est profectus? qui enim bonum ientaculum & prandium sumpsit, non potest seruare præceptum de vnica refectioe; & parum videtur referre, vtrum addat tertiam. Nihilominus Doctores sententia, quam attulimus, probabilis est.

20 Petes, Vtrum si tibi ratione laboris vel debilitatis sit licita cœna die ieiunij, possis inuitare amicum ad cœnam, quem scis solere violare ieiunium domi cœnando?

Nauarrus cap. 21. num. 24. ex Caietano docet, licitum esse, eum, qui paratus est cœnare, inuitare causâ vrbانيتatis, vel hospitalitatis, ad cœnam, quatenus cœna est actus secundum se indifferens. Id probat Primò, Licitum est inuitare ad actum per se bonum, vel indifferentem, quando iusta causa subest. Secundò, Quia Deus inuitat & iuuat ad agendum aliqua, quatenus sunt entia, quæ aliàs etiam sunt peccata. Tertiò, Quia licitum est gaudere de occasione Christi, qua parte est nostra redemptio; etsi de illa doleamus vt fuit peccatum. Quartò, Licitum est egentibus petere mutuum ab vltario, & parochiano Sacramenta à suo

à suo Parocho, quem putat peccatum, &c.

²¹ Nihilominus dicendum est, non posse talem ferio & absolute inuitari vt tecum cœnet; nec in mensa vrgeri vt comedat. Ratio est, Quia nemo potest inuitari aut incitari ad id quod sine peccato præstare non potest: atqui hic non potest sine peccato comedere, vt supponitur.

Ad ratio- nes. Vnde patet responsio ad Primum, Quia etsi cœnare in genere sit actus per se indifferens, non tamen est indifferens vt hic & nunc à tali agitur, sed malus.

Ad Secundum: Deus numquam inuitat ad aliquid quod sine peccato fieri nequit, ne vt ens quidem est: nec ad illud inuitat, nisi auxilio generali, & per se indifferente, vt alibi fuit ostensum est.

Ad Tertium: Licitum est quidem gaudere de occasione Christi, sub illa ratione, non tamen licitum fuit ad illam incitare aut inuitare Iudæos: gaudium enim potest esse de bono præcisè & per se considerato, absque approbatione causæ vel circumstantiæ prauæ: non autem incitatio & inuitatio.

Ad Quartum: Id quod ibi petitur, sine peccato præitari potest. Idem dicendum de locatione domus factæ meretrici, & aliis quæ ibi adfert Nauarrus.

D V B I T A T I O I V.

Vtrum caupo peccet, si die ieiunij cœnam apponat, aut cibos vetitos.

Res est frequentissima per Germaniam & in locis hæreticorum.

²² *Apponere cibos vetitos.* Respondeo, Quod ad cibos vetitos attinet, in locis Catholicorum eos apponere, præsertim carnes, est graue peccatum; & grauius punirentur si qui id facerent, quia ibi censetur hæreseos quædam tacita professio, nisi fortè in casu aliquo particulari ratione euidentis necessitatis, vel si nihil aliud suppeteret, vel si aliquis hospitem, qui videretur fide dignus, diceret id sibi à Superioribus indultum.

²³ In locis verò hæreticorum, vbi passim ab aliis solent apponi, credo id esse licitum cauponi Catholico; positis tamen duabus conditionibus. Prima, Si hospites petant: non enim ingeri possunt non petentibus; hoc enim esset illos ad illicita inuitare. nisi fortè simul apponat carnes & pisces, vt plerique illis locis, maximè Catholicis faciunt, vt vtrique parti faciant satis, quemque suæ conscientiæ relinquentes.

Secunda, Si non potest reculare sine suo notabili incommodo: vt si alioquin ab hospitibus esset deserendus, vel aliquid incommodi passurus à Magistratu. Ratio est, Quia id per se malum non est, sed quiddam indifferens: ergo supposita legitima causa, fieri potest sine peccato. hæc enim facit vt non censetur esse professio hæresos, aut cooperatio ad malum. Confirmatur, Quia hac ratione excusantur à DD. ancillæ dominorum hæreticorum, quæ diebus ieiuniorum carnes coquunt, & cœnam apponunt; quia id sine notabili incommodo suo non possunt detrectare; & auriga vehens dominam suam ad locum adulterij; & Naaman Syrus comitans dominum suum ad locum idoli, eumque in adoratione sustentans & veluti iuuans; de quo alibi dictum est. etsi enim hæc & similia

speciem mali habeant, & reuerà mala sint, quando commodè vitari possunt; quia censentur fieri affectu cooperationis ad malum: tamen quando absque notabili incommodo non possunt detrectari, non sunt mala; non enim tunc censentur fieri causa cooperationis, sed vitandi incommodi, & inuoluntariè. Huc pertinent rationes, quas congerit Nauarr. cap. 21. num. 25. vide supra lib. 2. cap. 13. num. 29. & seq. & cap. 9. num. 122.

De cœna apponenda est distinguendum; vel enim constat istos non teneri ad ieiunium, vel constat teneri, vel est dubium. Si primum, potest eis cœna dari, modò scandalum ablit; quod vbi-que exceptum volo. Si secundum, non potest, si tamen absque incommodo possit negari. hoc fuisse probat Gabriel in 4. dist. 16. q. 3. dub. 6. & ratio est, quia tenetur impedire offensionem Dei, & lapsum proximorum, quantum commodè potest: atqui in hoc casu non solum non impedit, sed etiam cooperatur, præbens illis instrumentum peccandi, quod facile potuisset negare. hoc tamen maximè locum habet quando illi alibi habere non possunt; si enim alio ituri, & ibi cœnaturi erant, non est necesse reculare; quia peccatum non potest sic impediri; iuxta ea, quæ scribit Nauarrus cap. 21. num. 24. & Caietanus q. 147. art. 4. Idem dicendum si grauius offensuri essent Deum murmurando, conuiuendo, maledicendo, cœnâ negatâ. quo modo excusantur interdum patresfamilias, famulis & domesticis cœnam permittentes, vt Gabriel notat.

Si tertium; vel decorè possunt interrogari an excusentur à ieiunio, vel non possunt. Si possunt, sunt interrogandi, & iuxta quod responderint, faciendum. Si non possunt, propter auctoritatem, præsumendum excusari. Ratio est, Quia in dubio nemo præsumitur velle peccare, L. Merito. 7. Pro socio, & dubia in meliorem partem sunt interpretanda: de quo sup. lib. 2. cap. 29. dub. 4.

D V B I T A T I O V.

Quo iure obligemur ieiunare, & quanta sit hæc obligatio.

D. Thomas quest. 47. art. 3.

²⁵ *1. Sententia est hæreticorum.* Sunt tres sententiæ. Prima est hæreticorum nostri temporis, qui docent, fideles nullo iure ad ieiunia adstringi, sed omnia esse libera. Ratio ipsorum est, quia obligatio ieiuniorum pertinet ad iugum & seruitutem legis veteris, à qua per Christum liberati sumus; cui Ecclesia non potest nos rursus subijcere. Vnde inferunt esse superstitionem, si veluti ex obligatione ieiunes; quia id est professio quædam seruitutis legalis. Ita Caluinus lib. 4. Instit. c. 12. & Confessio Augustana art. 26. Idem ob eandem rationem docuit olim Aëtius, vt referunt S. Epiphanius hæref. 75. & S. Augustinus lib. de Hæref. cap. 53.

²⁶ *Refutatur.* Sed hæc sententia est aperta hæresis, olim à Patribus in Aërio damnata, quam etiam consensus & vltus omnium sæculorum iam inde à temporibus Apostolorum refutat; nam ab eo tempore semper in Ecclesia multa ieiunia vt obligatoria seruata fuere, non ad satisfaciendum præcepto legis veteris; (nusquam enim in lege veteri quadragesimale ieiunium, aut vigiliarum præceptum fuit) sed

ad obediendum præcepto Prælatorum Ecclesiæ, quibus dictum est à Domino, Luc. 10. *Qui vos audit me audit: qui vos spernit, me spernit.* & Matth. 18. *Si Ecclesiam non audiverit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Amen dico vobis, quicumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in celo. & Ioan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* id est, simili cum potestate ad Ecclesiam gubernandam. quibus locis aperte significatur potestas præcipiendi, & præceptis obligandi, ut Patres omnes explicant.

27 Nec obstat, quod ieiunia in veteri lege præcepta fuere: si enim bona sunt & salutaria, cur non possit Ecclesia illa præcipere etiam in noua lege? alioquin non poterit etiam præcipere orationem, aut elemosinam; quia hæc in veteri legi præcepta fuere. Nec refert, quod ieiunia illa vetera aliquid cærimoniale habuerint illi legi proprium, quia cum tali circumstantia ab Ecclesia non præcipiuntur; & ipsa secundum se illam non requirunt, cum ad Ius naturæ pertineant, & apud omnes gentes usurpentur.

Ieiunia legis veteris habent aliquid cærimoniale.

Non pertinet ad iugum legis veteris.

Neque hæc obligatio dici potest pertinere ad iugum legis veteris; sicut nec obligatio, qua potestibus sæcularibus in variis rebus, solum ad disciplinam externam & commodum temporale pertinentibus, obedire tenemur, ad seruitutem illius legis pertinet. Quod si hæc obligatio, quæ etiam conscientiam vincit tenet, (ut Apostolus expressè ad Rom. 13. ait) ad illam seruitutem non pertinet; multò minùs ea, qua tenemur obedire Prælati Ecclesiæ, quorum potestas directè descendit à Christo, & dirigit nos ad salutem.

28 *Responsio ad argumentum hæreticorum.*

Hinc patet responsio ad fundamentum hæreticorum: nam libertas Evangelica, qua Christus nos liberavit, non soluit nos à lege ieiunij, neque ab aliis, quæ ab Ecclesiæ Prælati imponuntur, (sicut neque à legibus civilibus & Principum subiectione) hæc enim obligationes non sunt fugiendæ; neque ab his liberandi eramus, cum ad iustitiæ seruitutem pertineant: sed ab aliis quibusdam vinculis; nimirum à quintuplici seruitute. Primò, A seruitute peccati, quod duplici vinculo nos firmiter constrictos tenebat, vinculo culpæ & vinculo pænæ seu reatu. à neutro nos eripere poteramus: ab utroque liberavit nos per mortem suam Christus. Secundò, A tyrannide diaboli, cui propter peccatum eramus subiecti, iuxta illud 2. ad Timoth. 2. *A quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Tertio, A seruitute concupiscentiæ, cui gratia destituti seruirebamus: & consequenter à necessitate peccandi. Hæc tria insinuantur ab Apostolo, ad Rom. 6. *Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ.* Liberatio enim à peccato, secum trahit vel includit liberationem à tyrannide dæmonis, & à seruitute concupiscentiæ, quam etiam Apostolus passim nomine peccati comprehendit. Quarto, A seruitute legis moralis, partim quatenus nos sua pœna vincit tenebat; de quo Apostolus ad Galat. 3. *Christus redemit nos de maledictio legis, factus pro nobis maledictum.* partim quatenus solo timore (quod seruale est) ei obediebatur. vnde Apostolus ad Gal. 5. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege,* nimirum seruali modo, sicut mancipium subest domino amara necessitate; sed sicut filius patri spontaneo amore. Item *non estis sub lege,* quoad vim puniendi: quia non dominatur iustis infligendo pœnam. & ad Rom. 8. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis*

Libertas Evangelica à quintuplici seruitute nos soluit.

spiritum adoptionis filiorum. Quintò, A seruitute legis veteris, præsertim cærimonialis, cuius iugum erat valde graue & quasi importabile, ut constat ex verbis D. Petri, Actorum 15. præsertim cum absque gratia esset inutile ad salutem. De hac sæpissimè loquitur Apostolus in Epistola ad Galatas, & alibi. In his igitur Christiana consistit libertas; non in libertate à ieiuniis & præceptis Prælatorum, quibus libertas spiritus iuuatur & conseruatur.

Secunda sententia est quorundam, qui etsi concedant cetera ieiunia esse Iuris humani; tamen ieiunium Quadragesimæ putant esse Iuris diuini. Primò, Quia nusquam inuenitur eius institutio: imò Iura quæ illius meminerunt, insinuant & supponunt iam antea institutum. Secundò, Quia aliqui Patres id aperte indicant; D. Augustinus in Psalm. 110. dicit *Quadragesimam nobis præcipi ex Lege, & ex Prophetis, & ex ipso Evangelio.* D. Ambrosius Serm. 23. dicit *Quadragesimam à Domino consecratam.* Serm. 25. *Non leue peccatum est fidelibus iudicatum Quadragesimam à Domino non ieiunare, & ieiunia consecrata ventris voracitate dissolvere.* & Serm. 27. *Isud autem præceptum eius est primum, et his quadraginta diebus, ieiunij, orationibus, vigilijs operam commodemus.* D. Leo Serm. 12. de Quadragesima, vocat illam *ieiunia diuinitus instituta.* Sed hæc sententia est parum probabilis, ut statim patebit.

29 *2. Sentent. Ieiunium Quadragesimæ esse Iuris diuini.*

Tertia sententia est communis Doctorum, & nobis amplectenda, Omnia Ecclesiæ ieiunia, etiam Quadragesimæ, esse Iure humano instituta, eoque solo obligare. Sub Iure humano comprehendendo etiam ordinationes Apostolorum, quas ipsi ut Ecclesiarum Rectores fecere. Probatur Primò, Quia Patres passim docent ieiunium Quadragesimæ esse ab Apostolis institutum, & Ecclesiæ traditum: S. Hieronymus Epist. 56. ad Marcellam, de erroribus Montani, *Nos unam Quadragesimam, secundum traditionem Apostolorum, toto anno, tempore congruo ieiunamus.* D. Leo Serm. 6. de Quadragesima, *Apostolica institutio quadraginta dierum ieiunij impleatur.* Idem indicat Epiphanius Hæres. 75. in fine. Eiusdem meminit S. Ignatius Epist. ad Philadelphios, & Clemens libro 5. Const. Apost. cap. 12.

30 *3. Sentent. Omnia esse Iuris humani.*

Probatur.

Secundò, Si esset à Domino institutum, non posset in illud incidere tanta variatio quoad tempus, modum, cibos, etatè ieiunantium, exemptiones plurimorum, quantam consuetudine variis temporibus & locis videmus inductam; sed ab omnibus eodem modo seruari deberet: nam Ius diuinum non potest consuetudine mutari.

Tertio, Si Christus instituit, id fecit solum exemplo, ut Patres indicant: nullum enim aliud in Evangelio huius rei habemus vestigium: sed exemplo non instituit; quia illud nimirum à nostro ieiunio discrepat: ille enim nullam discretionem ciborum habuit; sed per 40. dies & noctes omni cibo & potu abstinuit; nos delectum ciborum habemus, & quotidie semel comedimus, & sæpiùs bibere possumus: ille nullum diem exceptit; nos Dominico non ieiunamus: ille statim post Baptismum & in deserto ieiunauit; nos ante Pascha inter homines versantes. Itaque etsi hoc exemplo nos prouocauerit ad ieiunium totidem dierum pro modulo nostro suscipiendum, (ut aperte tradit Ambrosius) non tamen præcepit nec instituit nostrum;

strum; sed id Apostolis, & Rectoribus Ecclesie reliquit, sicut & cetera quæ ad Ecclesie disciplinam pertinent. satis enim erat Domino fundamenta Religionis, quæ inconcussa manere debebant, per se instituisse.

³¹ *Respondetur ad Patrum dicta.* Nec obstant dicta Patrum. Dicitur enim *præcipi ex Lege*, &c. tum quia ad imitationem Moysis, Eliæ & Christi præcipitur; tum quia occasio præcipiendi, ex Lege, Prophetis, & Evangelio accepta est. Dicitur à *Domino consecrata*: quia hunc diem numerum suo factò sacrum & religiosum fecit, & hunc explendo, imitatur & colimus Christum. Dicitur *indicta à Domino*, & ab eo *præcepta*, quia exemplo suo eam nobis commendauit; quod exemplum nobis debet esse instar præcepti, præsertim accedente mandato Apostolico. Item, Quia Apostoli instinctu diuino præceperunt. Dicitur etiam non esse *humana cogitatione* inuenta; quia numerus iste diem primitus à Deo constitutus fuit in ieiunio Moysis, Eliæ, & Domini nostri. Denique Patres interdum indicant ieiunium esse à *Deo institutum*; quia Iure diuino est nobis præceptum in genere absque determinatione temporis, & modi; quæ relicta est Ecclesie dispositioni. Seposita autem hac determinatione, tenemur Iure diuino ieiunare, quando id putatur necessarium ad aliquas tentationes, præsertim carnis, superandas, & eam spiritui subiiciendam, vel ad flagella impendentia auertenda.

³² *Quantum obliget.* Quod ad alteram dubitationis partem attinet, *Quanta sit huius præcepti obligatio*: quidam putant, non obligare ad mortale, nisi vt non agatur contra ex contemptu. Idem dicunt de omnibus præceptis humanis. vnde si quis ea violat absque contemptu, non peccare mortiferè, sed solum venialiter. Ex contemptu autem violare dicunt non solum illum, qui eo sine id facit vt Ecclesie potestatem, vel ieiunij opus contemnat; sed etiam qui facit ex consuetudine: quia consuetudo peccandi est quidam interpretatiuus contemptus præcepti. Ita Angelus v. Ieiunium n. 14. vbi citat pro hac sententia Cardinalem Zabar. & v. Inobedientia, vbi citat pro ea D. Thomam, Richardum, Archidiaconum, Geminianum, & alios. Confirmatur, Quia qui habet propositum seruandi ieiunij præcepti, & ordinariè seruat, sed ex infirmitate, dum superuenit tentatio, labitur, & statim concepto dolore rursus proponit & conatur implere, multò magis venia dignus est, quàm is cui nullo modo præceptum est cordi, & liberè illud violat: nec videtur mens legislatoris illi laqueum culpæ mortalis iniicere, præsertim cum finem principale sui præcepti in illo magna ex parte assequatur, qui est, vt subditus, quantum fert communis fragilitas, benè agat.

³³ *Refutatur Obligatio sub mortali.* Verum communis & recepta DD. sententia est, hoc præceptum ita obligare ad mortale, vt si absque causa violes, mortaliter pecces, quamuis id non ex consuetudine, sed ex aliqua tentatione, & semel tantum facias. Ratio est, Quia res præcepta capax est huius obligationis: (est enim opus virtutis, homini ad salutem necessarium, aut valdè expediens, & in suo genere graue,) & Ecclesia absolute præcipit, nec temperat obligationem secundum hunc vel illum modum violandi: ergo imponit obligationem sub mortali. Consequentia patet ex communi regula, Præcepta obligare pro materiae capacitate & grauitate: quæ nisi admittatur,

nulla alia superest norma discernenda obligationis: nam confugere ad intentionem legislatoris, est diuinare: præsertim cum hæc se accommodet materia, nisi discretè aliud in lege exprimat. Confirm. Quia præcepta diuina obligant absolute in re graui, sub mortali, etiam si vel semel violentur, nec admittunt illam distinctionem, *ex consuetudine & ex infirmitate*: ergo etiam humana. Consequentia patet, quia præcepta humana debent imitari diuina, & Deus non est minùs in præcipiendo suauis, nec minùs se infirmitati humane accommodat, quàm Ecclesia. Hinc patet responsio ad fundamentum sententiæ aduersæ.

Idem confirmatur ex sensu veteris Ecclesie: ³⁴ nam Canone 68. Apostolorum dicitur: *Si quis Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut lector, aut cantor sacram Quadragesimam Pasche, aut quartam Feriam, aut Parasceven non ieiunauerit, deponitur: præterquam si imbecillitate impeditur corporis. si laicus sit, communionem priuatur.* Vbi nota, tunc temporis & aliquot sæculis post, etiam Feria quarta & sexta solitum ieiunari per annum. vide Epiphanium hæresi 75. Sexta Synodus in Trullo, Græcis dicta *trvbtvru*, q. d. quini sexta, can. 56. *Vsum est, vt omnis Dei Ecclesia, quæ est in vniuerso terrarum orbe, vnum ordinem sequens, ieiunium perficiat, (quadagesimale) & abstinere sicut ab omni mactabili, sic ab onis & casto: quæ quidem sunt fructus eorum, à quibus abstinemus. Qui autem hoc non seruauerint, si quidem sint Clerici, deponantur, si autem laici, segregentur.* Hic violatores ieiunij iubet deponi, vel excommunicari. Concilium Gangrense ante annos 1200. can. 19. *Si quis ieiunia, quæ communiter ab Ecclesia custodiuntur, dissoluat, anathema sit.* Ambrosius Serm. 25. *Si ignorans, Ionathas indictum à patre ieiunium, quia resoluere, morti addicitur; qui sciens à Christo indictum resoluat, quid meretur?* Eòdem pertinent testimonia, supra in secunda sententia allata.

Si quis tamen putaret subesse iustam causam non ieiunandi, & ita bona fide comederet, non peccaret, saltem mortiferè, quamuis in ea re fallatur, suæque sensualitati indulgeat, vt notauit Caietanus in ar. 3 & Nauarrus cap. 21. num. 20. quod intelligo, modò non sit ignorantia crassa, quæ dolo æquiparari possit. In dubio an causa sit iusta, tenetur inquirere veritatem; & manente dubio, debet seruare ieiunium, nisi petat à Superiore, potestatem habente, dispensationem: quia in dubio tenetur legem seruare; cum illa sit veluti in possessione libertatis subditi, vt constat ex dictis lib. 2. cap. 41. dub. 9.

Grauiissimum autem semper in Ecclesia iudicatum fuit, tempore ieiunij vesci carnibus; vt constat ex Concilio Tolet. 8. can. 9. & ex d. can. Apostolorum 98. & Synodo Trullana can. 56. Vnde non facile Catholicus eas comedit, etiam inter hæreticos: quia id facere non possunt, si absque graui periculo possint vitare, & alij cibi suppetant. Quare grauius reprehendendi mercatores Belgæ, qui dum in Quadragesima ad nundinas Francofurtenses proficiscuntur, carnibus liberè cum aliis vescuntur; cum alij cibi suppetant, modò petant.

³⁵ *Vesci carnibus.* Dixi, si absque graui periculo possint vitare: quia si ceteris carne vescentibus, ipsi abstinendo incurrerent graue periculum vitæ aut fortunarum, vt interdum accidit vbi viget persecutio in Catholicos,

licos, possent comedere, ne abstinendo se prodant: modo id non fiat in contemptum potestatis Ecclesie, aut cum damno Religionis. Numquam enim quouis periculo posito comedi possunt in contemptum Religionis, aut cum eius præiudicio, ut alias sæpè in similibus monuimus.

DUBITATIO VI.

Qui teneantur ieiunij ecclesiastici præcepto, & qui excusentur.

D. Thomas art. 4.

36
Sententia
Begariorum, &c.

Quidam hæretici, circa annum Domini 1310. tempore Clementis V. ex Begardis & Beguinis, docuerunt, posse hominem in hac vita ad eam perfectionem conscendere, ut sit impeccabilis, & non amplius proficere possit; quòd cum peruenerit, non teneri amplius ieiunare, vel orare, sed posse concedere corpori quidquid lubet. Vnde solos imperfectos ad ieiunia obligari volebant. Ita refert Turcremata lib. 4. de Ecclesia, p. 2. cap. 36. & D. Antonin. p. 4. tit. 11. cap. 7. §. 4.

37
Est hæresis.

Sed hæc doctrina tamquam hæretica damnata est in Concilio Viennensi à Clemente V. ut habetur Clement. Ad nostrum, de hæreticis. Et facile refutari potest. Primò, Quia fundamentum eius falsum est, & hæreticum; quamdiu enim in hac vita sumus, peccare possumus, & proficere, ut ex multis Scripturis constat. vnde Apostolus 1. ad Cor. 9. qui tamen perfectus erat, si quis alius in hac vita, *Castigo, inquit, corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* & Apocal. vlt. *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc, & qui iustus est, iustificetur adhuc.*

Secundò, Etiam si quis ratione suæ perfectionis & tranquillitatis carnis, non egeret ieiunio, non tamen idcirco à præcepto esset exemptus: quamuis enim ratio præcepti in aliquibus cesset, non tamen idcirco definit illos obstringere, nisi ex eius obseruatione aliquid, quod sit contra intentionem legislatoris, sequatur; vel certè nisi ratio præcepti vniuersè vel in plerisque ita cesset, ut lex censetur inutilis; de quo plura 1. 2. q. 96.

Tertio, Quia qui maximè in hac vita perfecti fuerunt, maximè ieiunarunt, ut Ioannes Baptista, Apostoli, SS. Patres, Eremitæ, Fundatores Ordinum. Denique hanc hæresim cum suo fundamento refutat D. Leo Serm. 11. de Quadragesima. *Adest, inquit, maximum sacratissimumque ieiunium, quod obseruantiam sui vniuersis fidelibus sine exceptione denuntiat; quia nemo tam sanctus est, ut non sanctior; nemo tam deuotus est, ut non debeat esse deuotior, &c.*

38
Omnes obstringi.

Hoc igitur errore refutato, Respondeo, Omnes Christianos, cuiuscumque sint perfectionis aut dignitatis, præcepto ieiunij obstringi; nisi iusta aliqua causa excusentur. Ita communiter DD. diuus Thomas hic, ar. 4. & ceteri in 4. d. 15. vel 16. Innocentius & Canonistæ in Rubr. de Obseruat. ieiuniorum, Summistæ v. Ieiunium; & colligitur aperte ex testimonijs supra allatis; maximè ex can. 68. Apostolorum, & Synodo in Trullo, can. 56. & dicto Serm. S. Leonis. Ratio est, Quia causa huius præcepti in omnibus locum habet, ut benè ostendit Caietanus; omnes enim egent castigatione carnis, ut spiritui sit subiecta, satisfactione pro pec-

catis, & aptitudine mentis ad orandum. & quamuis aliqui interdum pro aliquo tempore his omnibus non egeant; tamen ut plurimum egent, & semper sunt valde vitia. Itaque Ecclesia potuit omnibus præcipere id quod ad istos fines iudicabat maximè opportunum, quod est ieiunium, ut dub. 8. dicemus.

Dixi, nisi iusta causa excusentur: quia ethi in præceptis diuinis non facile cadat excusatio, cum sint de necessarijs ad salutem; ut patet in præcepto fidei, baptismi, penitentiae, Eucharistiae: tamen in humanis, quæ versantur circa vitia dumtaxat, vel circa determinationem præceptorum diuinorum, sæpè multæ causæ possunt incidere, ob quas cesset obligatio.

Reduci autem possunt ad tria capita, *impotentiam, laborem, & pietatem.*

Ob *impotentiam*, excusantur quotquot sine notabili noxa non possunt ieiunare; ut sunt infirmi, conualescentes, & debiles, præsertim Medicorum accedente iudicio; quia crebriore refectione opus habent: prægnantes, & lactentes; quia pro se & pro foetu egent. Denique pauperes, qui iustam refectionem non habent: non enim mens Ecclesie est, cum graui dolore vel læsione naturæ ad ieiunium obstringere; cum ad medendum non solum animis, sed etiam corporibus illud instituerit.

Ob eandem causam D. Thomas ad 2. & communiter DD. excusant pueros & adolescentes vs-

que ad finem tertij septennij; quia cum vsque ad illud tempus magnis incrementis augetur corpus, eget copioso alimento: vnde sæpius capere cibum debent, ne accretio & perfectio naturæ intercipiatur. Et quamuis valde conueniat ut interdum ieiunent, præsertim cum ætas illa vitii carnis sæpè sit valde subiecta, quibus ieiunium est optimum remedium; tamen Ecclesia non voluit generatim aliquid statuere; sed hanc rem prudentiæ Confessoriorum & Rectorum reliquit, ut quibus & quando videbitur esse opus, præscribant.

Excusantur etiam senes, iuxta communem DD. sententiam; quia senectus ipsa est morbus, & quidem incurabilis, & opus habet refectione crebra & modica. *Ætas autem qua incipit hæc senectus non est determinata, ut multi DD. notant: quia, ut inquit Caietanus, alij trigésimo anno senescunt, alij quadragesimo, alij quinquagesimo.* Secundum Medicos prima senectus incipit circa annum quinquagesimum, & in quibusdam circa quadragesimum quintum, nimirum quando vires & calor naturalis notabiliter incipiunt minui, & humor primæus absumi. Vnde puto paucos excusari anno 30. vel 40. ob senium. Omnes autem conueniunt, excusari ordinariè sexagenarios: hac enim ætate est media senectus, iuxta Medicos: in qua natura facilè inedia & repletionè grauitè læditur, & præcipitatur. Vnde nisi constet euidenter (teste Caietano) alicuius naturam ad eam tunc esse viridem & vegetam ut non sit lædenda ieiunio, non tenetur. neque in dubio tenetur tentare, iuxta eundem auctorem; quia in illa ætate præsumitur non posse, nisi de contrario constet; præsertim cum experimentum sit periculosum.

Ob *laborem* eximuntur, Primò, Quotquot labore suo victitant, cum quo præbè ieiunium consistere nequit; quales sunt agricolæ, & ferè mechanici omnes. Nec refert vtrum diuites sint, an pauperes: quia hoc ipso quòd ex officio laborant,

possunt æquè diebus ieiunij ac aliis laborare; ac proinde à ieiunio excusantur, si reipsa laborem subeant. Ita declarauit Eugenius IV. (teste Siluest. v. Ieiunium, q. 2. r. & Rolélla, quem citat ibidem) quia multi DD. antea putabant non excusari, nisi qui necessitate aliqua compulsi, diebus illis laborarent. Vnde famuli & ancillæ solita ministeria etiam diebus ieiunij præstare debent, volentibus dominis, etiam si cum illis ieiunium constare nequeat.

43 Dixi, *ferè omnes*; quia si qui sint mechanici, vel alij, quorum labor sit exiguus, hi non sunt excusandi; vt sunt pictores, quorum opus est ingenij potius quàm virium, & ars ferè liberalis; sculptores, tonsores, factores; quibus Toletus addit etiam futores; quorum tamen ars videtur laboriosa.

Deinde eximuntur, qui damni vitandi, vel notabilis lucri (cuius occasio non semper datur) captandi causa laborant, etiam si ex officio non soleant; vt qui ad nundinas proficiscuntur, præsertim pedites; vel ad alia negotia, quæ commodè differri nequeunt. Denique omnes, qui officio suo fungi nequeunt cum ieiunio, etiam si labor non sit nisi ingenij; quia parum refert qualis sit labor, si non patitur secum ieiunij vsum.

44 Ob pietatem excusantur omnes, qui operibus præstantioribus vel maioris momenti incumbunt, quæ ipsi vnà cum ieiunio perficere non possunt: qualia sunt opera misericordiæ spiritalia & corporalia, & opera Religionis; vt concionari, docere, visitare infirmos, administrare Sacramenta, ornare templa, peregrinari ad loca sancta: si tamen hæc non possint commodè differri. Ratio est, Quia Ecclesia ita præcipit ieiunia, vt alia officia pietatis, quæ pro tempore & loco se offerunt, nolint impedire. vnde non est necesse vt hæc fiant ex voto, aut præcepto Superioris, vt docet Nauarr. num. 18. Malè tamen facit, qui peregrinationem, quam commodè poterat differre, potius instante ieiunio quàm alio tempore suscipit, vt ieiunio non teneatur. Excusatur etiam coniux, qui cum ieiunio debitum reddere coniugi non potest: & vxor, quam maritus ieiunare non permittit, eò quòd metuat eius valetudini, vel formæ, aut quia putat esse nimis debilem, &c. vt notat Tabiena, v. Ieiunium, num. 20. & Siluest. num. 15. Nauarrus n. 16. secus si fortè maritus id faciat in contemptum Ecclesiæ; vt si hæreticus vellet vxorem cenare, vt hac ratione ostendat vxoris factò se potestatem Ecclesiæ aspernari; tunc enim potius mors oppetenda quàm parendum.

45 Circa prædicta Notandum est, Cùm ieiunium Ecclesiæ duo contineat, abstinentiam à cibis vetitis, & abstinentiam à secunda refectio, vt dubit. 3. dictum est; quæ de exemptione ab ieiunij præcepto dicta sunt, intelligenda potissimum de exemptione à præcepto, qua parte vetat abstinentiam à secunda refectio; non autem quæ abstinentiam à carnibus & cibis vetitis: hæc enim sunt distincta præcepta. pauci enim sunt quibus concedatur vltus ciborum vitiorum; plurimi quibus secunda refectio. Vbi tamen esteuidens necessitas, etiam cibi vetiti conceduntur, absque vlla Superioris dispensatione. In dubio opus est dispensatione Superioris, qui respectu sæcularium est Ordinarius, & illo absentè, Parochus: nam & huic obereberrimos & quotidianos casus, potestas in hac lege Ecclesiæ dispensandi concessa est; vt passim DD. notant: respectu Religiosorum, Præla-

Exemptio à ieiunio quo modo intelligenda.

In dubio.

tus Regularis. Quibus tamen concessus vsus carniuum, his etiam censetur permittà secunda refectio, vt docet Toletus lib. 6. cap. 3. quod tamen ex sententia Caietani & Nauarri limitauerim, habere locum, si ratione debilitatis naturæ, vel corroborationis id concessum sit: non autem, si quis à piscibus abhorret, vel putantur nocere temperamento: tunc enim causa non subest cur gemina refectio concedatur.

Si concessus vsus carniuum.

DVBITATIO VII.

Vtrum peregrini teneantur speciali ieiunio loci in quo versantur.

Hæc quæstio pendet ex illa generali, Vtrum peregrini, ratione transitus vel hospitij teneantur consuetudinibus loci, vbi versantur. quam fusè tractat noster Sancius lib. 3. de Matrimonio disput. 18.

Respondeo breuiter, & Dico Primò, Si peregrinus venerit eò vt ibidem constituat domicilium, statim contracto domicilio tenetur seruare ieiunia, festa, & alias loci illius consuetudines, sicut alij ciues. In hoc conueniunt omnes Doctores; nam hoc ipso, quo ibi constituit vel contrahit domicilium, desinit esse peregrinus, & fit incola, & pars illius Reipub. ac proinde incipit obligari illius legibus & consuetudinibus.

Ad contrahendum autem alicubi nouum domicilium, requiritur vt incipias ibi habitare cum animo perpetuò manendi, vt ex communi sententia Doctorum docet Siluester v. Domicilium numero 2. & Sancius 3. de Matrim. disput. 23. Vnde si venias cum animo manendi solum ad tempus aliquot annorum, sicut studiosi ad Academias, non contraxisti domicilium. In dubio tamen an statuerit quis manere perpetuò, præsumitur voluisse (ac proinde habere domicilium) ex habitatione decenniali, vt iidem tradunt. Quòd si quis duobus locis vicissim habitet cum animo ita perpetuò faciendi, in vtroque domicilium habeat, vt Siluester num. 2. & alij docent. Vnde consuetudinibus loci, vbi præsens fuerit, tenebitur: Domicilium autem semel contractum non amittitur animo recedendi, sed requiritur vt reipsa deserat, ita vt non dicatur ibi amplius habitare. vnde non desinet obligari, donec reipsa recedat.

Dico Secundò, Etiam si non constituat ibi domicilium, sed solum cogitet manere per maiorem anni partem, tenetur similiter ieiunij loci & aliis consuetudinibus. Hanc etiam credo esse communem sententiam; quia plerique DD. etiam strictius loquuntur. Probat, Quia etsi talis habitatio non est sufficiens ad contrahendum domicilium absolute; sufficit tamen ad domicilium parochiale, & ad contrahendam parochiam quoad omnia Sacramenta necessaria, vt docet Siluester v. Domicilium num. 2. & Angelus eodem, & vterque v. Parochia. nam hoc ipso, quo quis cum tali animo incipit habitare alicubi, fit parochianus illius loci, & subiectus illi parochiæ. quod non solum verum est quoad Sacramenta necessaria, sed simpliciter quoad omnia ecclesiastica, vt Confirmationem, matrimonium, sepulturam, dispensationem votorum, &c. præter Sacramentum Ordinis, (sub quo intellige etiam primam tonsuram) vt bene ostendit Sancius disput. 23. & tenent plerique

46 Constituens domicilium.

47 Manens per maiorem anni partem.

rique recentiores, vsusque confirmat: ergo etiam talis habitatio est sufficiens ad contrahendam obligationem statutorum & consuetudinum loci.

48
Si minore
anni parte.

Sententia
quorum-
dam, non
obligari
tales.

Sed difficultas est, Vtrum obligetur, si non stauerit ibi tanto tempore manere; sed minore anni parte? Sancijs probabilis censet non teneri, si scandalum ablit, & illa in loco domicilij non obligent. Primò, Quia tali mansione non contrahitur parœcia, seu obligatio Sacramentorum in illo loco percipiendorum: ergo nec consuetudinum loci: non enim videtur esse maior ratio in his, quàm in illis. Secundò, Quia illa consuetudines solum obligant ibi habitantes: sed quia solum minore parte anni ibi versatur, non censetur ibi habitare: ergo. Maiorem docet Ioannes Medina C. de ieiunio, q. 10. dicens non obligari eos, qui illuc aliunde conueniunt non animo habitandi. Idem apertè insinuat Paludanus d. 15. q. 4. art. 3. D. Anton. p. 2. tit. 6. cap. 2. §. 2. Siluest. v. Ieiunium n. 7. & multi alij. Quod confirmatur, quia Episcopus loci & Magistratus non possunt obligare nisi suos subditos, qui sunt soli incolæ. Mithor probatur, quia à minore parte non fit denominatio, sed solum à maiore. Tertio, Quia hæc sententia est media inter eam, quæ requirit domicilium, quæ est nimis laxa; & inter eam, quæ solum transitum, vel vnius diei præsentiam, quæ est nimis stricta: nec commodior terminus videtur posse assignari, quàm is, qui à DD. assignatur ad contrahendam parœciam. Nec obstat versiculus ille vulgatus,

Si fueris Romæ, Romano vivito more,

Et si sis alibi, vivito sicut ibi. Nec illud D. Ambrosij, quod refert D. Augustinus Ep. 118. cap. 2. *Ad quamcumque Ecclesiam veneris, eius morem serua.* quia hæc continent non præceptum, sed bonum consilium, seposito scandalo, vt ex toto Augustini discursu, & ex Glossa in cap. Illa. dist. 12. colligitur.

49
Est proba-
bilis.

Hæc sententia est probabilis, eaque non solum de peregrinis, qui alibi fixum domicilium habent, sed etiam de vagis, qui nusquam firmam sedem obtinent, intelligi potest. Nam eadem ratio in illis locum habet, nimirum quia non sunt incolæ aut inhabitantes; & DD. generaliter loquuntur, nec distinguunt hoc loco inter peregrinos & vagos; sed volunt omnes alienigenas, qui veniunt animo non manendi, non teneri. Ita Paludanus, D. Anton. Siluester, & Medina supra. Nec obstat quod possint percipere Sacramenta vbiicumque se inveniunt; quia illud est privilegium, non obligatio: ad nullam enim in particulari astringuntur parœciam, nisi per maiorem anni partem aliquo loco consistere decreverint. Neque absurdum videri debet, eum, qui nusquam sinit, nullis statutis particularium locorum teneri. Verum etsi hæc probabilia sint, tamen

50
Contraria
videtur
verior.

Dico Tertio, Contrariam videri veriorem, spectata consuetudine fidelium passim recepta. Probatur Primò, Quia fideles non solum rudes, sed etiam doctores passim vbiique putant se obligari ad ieiunia & festa locorum, vbi ipsos versari contigerit, si constituerint ibi ad aliquot dies manere: adeo vt si quis deprehenderetur vesci carnibus die ieiunij, vel violare festa, puniretur ab Ordinario tamquam transgressor; maximè si duos vel tres menses ibi mansisset: atqui consuetudo ex tali opinione orta inducit obligationem, non minus quàm lex vniuersalis; non enim alio modo

id quod antè non obligabat, incipit per consuetudinem esse obligatorium, quàm quod homines putent se obligari, & incipiant illud passim tamquam obligatorium seruare, vt communiter Doctores tradunt. Itaque cum consuetudo seruandi aliquid statutum, vel consuetudinem, etiam liberam, ex opinione obligationis inducat obligationem; & hæc consuetudo talis sit, videtur omnino inducere obligationem. Nec refert, quod hæc consuetudo orta sit ad scandalum vitandum, quia non respicitur ex qua occasione vel causa impulsua inducta sit, sed consuetudo talis sit, videtur obligatoria est inducta: sicut enim vitatio scandali est sufficiens ratio ad aliquid absolute vetandum per legem; ita etiam ad absolute vetandum per consuetudinem.

Dices, Consuetudo populi non potest inducere obligationem legis ecclesiasticæ; quia populus non potest ferre legem ecclesiasticam. Eiusdem autem potestatis est obligare consuetudine & obligare lege. Resp. Consuetudinem talem non habere vim legis directè ex voluntate populi, sed ex tacito vel expresso consensu Ordinarij loci: qui hoc ipso quo scit illam obseruari tamquam obligatoriam, & non contradicit, censetur eam approbare, eique vim legis date; & potest populum cogere vt eam seruet. Nec obstat quod Ordinarius non videatur peregrinos posse obligare, sed solum incolæ; quia quamdiu in loco ipsius iurisdictionis versantur, potest eos communibus statutis, quatenus id ad bonam administrationem sui populi est necessarium aut expediens, obstringere. Imò Iure gentium id videtur receptum, vt omnis Princeps possit in sua ditione externos, quamdiu ibi versantur, legibus suis constringere, & delinquentes punire. Id enim est necessarium ad bonum commune, ne illi suis moribus vel actibus populo sint damno vel scandalo. Sic constituuntur à magistratibus in diuersis locis pretia rerum, quæ etiam externi in vendendis suis mercibus seruare tenentur. Sic prohibetur armorum certi generis delatio, rerum quarumdam exportatio, importatio, distractio, & similia, quæ etiam ad externos transeuntes pertinent. Simili modo prohibentur vitia sub grauibz pœnis, quæ etiam externis ea committentibus infliguntur, etiam si inter se absque iniuria alicuius incolæ peccauerint. Ex quibus fit vt etiam statuta particularia ieiuniorum & festorum externos obstringere possint, qui eo tempore intra diocesim vel oppidum, vbi seruanda sunt, versantur.

Secundò, Quia id est magis consentaneum rationi, & moraliter necessarium, vt alij præceptum seruent: si enim peregrini possent vesci carnibus & cenare, magna daretur occasio ijs, apud quos versantur, se illis causâ hospitalitatis & amicitie adiungendi, & violandi præcepti; idque probat quotidiana experientia, quando aliquis tempore ieiunij accedit foris, vel recedit: nam sub prætextu tractandi amici, qui causa itineris non obligatur, hospes & domestici simul comedunt, & præceptum ieiunij violant. Vnde ob hanc causam puto Episcopum loci posse etiam peregrinos ibidem per aliquot dies subsistentes obligare vt se alijs accommodent.

Tertio, Quando quis est extra suum oppidum, non obligatur amplius ieiunij & festis oppidi, vt statim dicemus: ergo par est vt subcat obli-

Consuetudo.

An Ordinarius possit obligare peregrinos.

obligationem loci in quo versatur: qui enim sentit commodum, debet etiam sentire onus, iuxta 55. regulam Iuris.

Hanc sententiam tenet Driedo lib. 1. de Libertate Christiana, cap. 17. circa medium, ubi probat illam ex D. Augustino, Couarruu. lib. 4. variat. cap. 20. num. 8. ubi pro ea adducit Imolam, Bonifacium & Zabarel. in Clement. 2. de celebratione Missarum, & Maiorem d. 15. quaest. 5. eamque probat ex cap. Illa, d. 12. ubi referuntur verba diui Augustini ex epist. 118. cap. 2. Nauar. cap. 13. num. 5. in fine, & cap. 23. num. 120. ubi praeter dictos adducit Panormitanum, addens, communi consuetudine ita seruari. Lopez 1. p. cap. 52. & alij multi.

51
Non sufficit simplex transitus.

Non tamen ita strictè intelligendam puto, vt ratione simplicis transitus obligetur: non enim consuetudo id tam strictè obseruat. Vnde si eodem die, quo venit, vel postridie cogiter discedere, non tenetur, secus si integro die, vel pluribus ibi manere statuerit: multoque magis, si aliquot hebdomadis, vel mensibus; tunc enim postridie quam venit, debet se conformare: quia talis dicitur ibi manere, & habitare pro tempore. quòd si ab initio non statuit ibi manere, & singulis diebus capter occasionem redeundi, non puto teneri; etiam si fortè non proficiscatur; quia non censetur ibi villo die manere, sed esse assidue veluti in transitu. Quod intelligo, si putet se eo die profecturum, alioquin si putat se mansurum, videtur teneri ad ieiunium illius diei; quia pro illo die non se habet per modum transeuntis, sed manet ibi toto tempore quo praecipuum obligat. Similiter videtur teneri in dubio an sit profecturus: quia certus est se iam esse in loco ubi praecipuum ieiunij obligat, & non constat ei de profectioe, per quam esset excusandus. Idem dixerim de Sacro, si die festo particulari illius loci maneat ibi toto tempore, quo hoc praecipuum implendum est, hoc est, vique ad meridiem, alioquin si durante illo tempore exierit terminos loci, extra quos non extendit se illud festum, non videtur teneri.

52
Qui ieiunium vno loco expleuit.

Petes, Vtrum is qui expleuit ieiunium Quadragesimae, vel aliud, si venerit ad locum ubi nondum illud est peractum, (vt saepe modò fit ratione noui Kalendarij, non vbiq; recepti) teneatur ibidem rursus ieiunare, & à carnibus abstinere?

Respondeo, Non teneri, quia praecipuum illud iam impleuit in sua Ecclesia. vnde etiam si constitueret ibi domicilium, non teneretur: quia etiam si per hoc domicilium dicatur contrahere omnes obligationes ciuium illius loci; id tamen solum est intelligendum de obligationibus particularium statutorum & consuetudinum loci, non autem praecipuorum communium toti populo Christiano, quibus iam satisfecit. Cauendum tamen ne alij inde scandalizentur. Idem dicendum de celebratione festorum & communione Paschali.

DVBITATIO VIII.

Vtrum ciuis teneatur peculiari ieiunio sui oppidi, dum absens est.

53 P Aludanus d. 15. q. 4. art. 3. putat eum teneri, donec alibi incipiat habitare, & statutis illius loci obligari. Ratio ipsius est, quia par est quem-

que obligari statutis sui loci, donec incipiat adstringi statutis loci alterius: sicut Iudaei tenebantur ad legalia, donec post Christi mortem ceperunt obligari ad Euangelica Sacramenta: atqui non incipit obligari statutis loci alterius, nisi incipiat ibi esse animo habitandi: ergo si solum transeat, vel maneat ad breue tempus, manet obstrictus legibus & consuetudinibus sui loci. Idem ex Paludano docet D. Antonin. p. 2. tit. 7. cap. 2. §. 2. in fine, & Siluest. v. Ieiunium, num. 7.

Sed contraria sententia est multò probabilior, & ferè communis, quam tenet Driedo, Nauarrus, Couarruias, & Lopez supra, & alij, quos isti citant. Denique Sancius libro 5. disp. 8. ubi complures adducit, Probat DD. communiter ex cap. Illa, d. 12. desumpto ex D. Augustino epistola 118. cap. 2. ubi adducit Ambrosium respondentem sibi in haec verba: *Cum Romam venio, sabbato ieiunio, cum Mediolani sum, non ieiuno: sic & tu ad quamcumque forte Ecclesiam veneris, eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalum, nec quemquam tibi. Vbi aperte indicat, licitum fuisse B. Monicæ, existenti Mediolani, non seruare ieiunium suae patriae; eò quòd in loco, ubi tunc praesens erat, non ieiunaretur. Idem confirmatur ex illo verticulo, *Si fueris Roma, &c.* Ratio est, quia statuta & consuetudines locales sunt veluti affixa loco, & ligant ratione existentiae in loco. vnde statuta Episcopi non ligant extra territorium; & excommunicatio ab eo lata in fures, non incurritur à subditis furtum extra territorium committentibus, vt habetur cap. 2. de Constitution. in 6. quia extra territorium Ius dicenti non paretur impune, vt ibidem dicitur.*

54
Probabilius est, peregrinum non teneri statutis sui loci.

Hinc sequitur Primò, Vbi incolae, vel parochiani possunt vesci carnibus, vel ouis, certis diebus, ibidem id posse etiam peregrinos, etsi illo tempore in oppido vel parocia illorum non liceat, & illi eodem die domum sint reuersuri, vel ab ea discesserint. Vnde Lusitani & Nauarri per Castellam iter agentes, possunt diebus sabbati comedere extrema & viscera animalium; quamuis id in patria eorum sit illicitum; vt Nauarrus cap. 13. n. 5. Couarr. supra, & alij DD. Hispani tradunt.

55
Possunt se accommodare incolis in cibis.

Secundò, Quando est festum in vna parocia oppidi, in altera autem non est, vt interdum fit, possunt subditi parociae in qua est festum, extra limites suae parociae laborare. Hi tamen manè debent audire Sacrum, iuxta Nauarrum supra; quia praecipuum, in loco ubi vim habet, ipsum deprehendit. Confirmatur, Quia praesens impediementi superuenturi, quod ab implendo praecipuo impedit, tenetur praenire: vt si tempore Paschali posterioribus septem diebus à Communione es impediendus, teneris prioribus communicare, vt praecipuum impleas.

In festis celebratis.

Aduerte tamen, etsi haec sententia Nauarri sit tutior, alteram tamen esse valdè probabilem, vt Sancius ex quibusdam doctis recentioribus tenetur; nimirum tales non teneri ad Sacrum, si durante adhuc commoditate implendi praecipui, sint futuri extra limites loci: nam quamdiu adhuc superest illa commoditas, non peccant contra praecipuum non audiendo; dum verò sunt extra limites loci, desinunt obligari. Neque tenentur praenire, audiendo ante abitum; quia tunc solum tenentur praenire, quando manente vi praecipui, seu nostrae subiectione, impediendi sumus:

56
Antequam tunc audire Sacrum.

vt cum quis manens in loco vbi viget præceptum, videt se horis posterioribus impeditum iri. secus verò quando intra tempus implendi desinet esse subditus præcepto. Ratio est, Quia quando præcipitur vt intra tale tempus hoc vel illud facias, intelligitur tacita conditio, Si toto illo tempore subditus præcepto manseris. vnde si te contigerit in terea eximi à subiectione præcepti; siue per dispensationem, siue alio modo, non teneberis tempus exemptionis præuenire. Ex quibus patet responso ad argumentum.

57
Discedens
ex oppido
vbi non est
ieiunium.

Tertio, Qui manè discedit ex oppido, vbi non est ieiunium, potest comedere, etiam carnes, vt alij, etiam si vesperi, vel meridie peruenturus sit ad oppidum domicilij vbi abstinetur. hoc tamen loco non poterit carnibus vesci; quia in loco domicilij statim eius legibus tenetur. Poterit tamen cenare, quia ieiunio semel violato non tenetur à cæna abstinere: quod si nondum violatum est, tenetur illud seruare, & à secunda refectione abstinere.

58

Quarto, Qui discedit manè ex oppido domicilij vbi est ieiunium, peruenturus ad locum, vbi non est ieiunium, non potest quidem in loco domicilij vesci carnibus; quia quamdiu ibi est, obligatur præcepto abstinendi à carnibus, sicut alij; potest tamen sumere ientaculum, vt rectè docet Sancius, si certus sit se peruenturum ad locum illi præcepto non subiectum. Ratio est, Quia non tenetur illo die abstinere à secunda refectione, cum in loco, quò peruenturus est, possit secundo & tertio comedere: ergo potest primam refectionem sumere manè antequam discedat, quicumque enim potest intra diem bis comedere, non tenetur illo die præcepto ieiunij quoad vnicam refectionem, vt supra dub. 3. ostensum est.

59
Qui recessit
à loco
vbi adhuc
durat
Quadragesima
in alium vbi
transacta.

Petes, Vtrum is qui durante Quadragesima in oppido vbi verfabatur, recessit aliò, vbi illa iam est transacta, teneatur ibi eam perficere. Res est, quæ quotannis accidit ob mutationem Calendarij, quibusdam locis non recepti. Videntur teneri; quia hoc præceptum est generale: ergo obligat vbique, & vbique impleri debet.

Non obligari.

Contrarium verius fortasse alicui videri possit, ob rationem illam generalem, quòd possit se moribus eorum, quibus eum viuunt, accommodare. Confirmatur; Quia qui primis quatuor diebus Quadragesimæ veniunt Mediolanum, non tenentur ieiunare, vt communis in Italia est opinio; eò quòd ieiunium illud ibi nondum fit inchoatum: ergo etiam qui veniunt aliquò, vbi iam est transactum, non tenentur; sed possunt se incolis accommodare. Idem dicendum de Festorum celebratione.

De confessione annua, & communionem, alia est ratio; nam qui in Paschate non impleuit, tenetur postea ad primam opportunitatem, iuxta veriore sententiam: hoc enim onus absolute personam, absque respectu ad locum, afficit.

60
Ad rationem.

Ad rationem Respondeo, Est ieiunium Quadragesimæ obliget omnes, & vbique; non tamen omnino absolute, sed sub tacita conditione; si sint in loco vbi nondum est expletum, sicut Festa communia. Hæc sententia videtur satis probabilis; si loquamur de iis, qui non in fraudem ieiunij, sed bona fide negotiorum causa locum mutant; præsertim cum valde difficile sit in conuictu humano seorsum ab alijs seruare ieiunium, ceteris omnibus à ieiunij lege solutis, & minime ieiunantibus.

Contrariam tamen sententiam etiam valde probabilem sentio, & in praxi suadendam: neque dubium est quin Ecclesia sic possit obligare.

DUBITATIO IX.

Vtrum tempora ieiunij ab Ecclesia sint rectè determinata.

D. Thomas art. 5.

Respondeo affirmatiuè: cum enim ieiunium vsurpetur ad expiationem peccatorum, & eleuationem mentis in Deum, illis maximè temporibus indicitur ab Ecclesia, quibus in hæc præcipuo quodam studio est incumbendum; nimirum ante solemnitate Paschalem, Quatuor anni temporibus, quibus Ecclesiæ ministri ordinandi, & in Vigilijs maiorum Ecclesiæ Festorum.

Ac Primò quidem, ieiunium Quadragesimæ indicitur tempore verno ante solemnitate Paschæ, ob quatuor potissimum causas. Primò, Quia maximè illo tempore vacandum fidelibus orationi, & recolendis ijs que Dominus pro nobis gessit, præsertim passione, morte, & resurrectione; ad hoc autem præstandum aptissima dispositio est ieiunium. Secundò, Quia tunc debent se parare ad confessionem, & Eucharistiam, agendo penitentiam, castigando carnem, & gratiam à Domino vitæ emendandæ impetrando, ad quæ omnia nihil accommodatius ieiunio: vnde in Collecta dicitur, *Deus, qui Ecclesiam tuam annua quadragesimali obseruatione purificas*. Tertio, Istud tempus est ieiunio accommodatissimum, ratione castitatis, & vt caro non dominetur spiritui. nam verno tempore natura maximè incitari solet ad libidinem, ob sanguinis & spirituum augmentum ac feruorem. Itaque parsimonia victus & vsu ciborum refrigerantium, minusque alentium, comprimenda. Quarto, est aptissimum ratione valedudinis, vt nuper Clar. Medicus D. Viringus edito libello eruditè ostendit: tunc enim humores augeri & effervescere incipiunt: vnde opus est detractione, & temperatione per medicamenta cathartica, & sanguinis missionem; quorum locum saluberrimè supplet ieiunium, vt inquit D. Basilus Orat. 2. de ieiunio.

Porro hic numerus dierum potius quam alius est definitus, Primò, Vt Dominum aliquo modo imitemur, qui vnico solido ieiunio hunc numerum impleuit. Secundò, ob varia mysteria huius numeri, quibus designatur, tempus huius vite esse tempus penitentiae: vnde & Moyses 40. dies in deserto ieiunauit, vt Legem acciperet: & Elias totidem dies, per desertum fugiens Iezabel, & ad montem Dei Oreb proficiscens. Filij Israel 40. annos in deserto peregrinati sunt, & 24. mansionibus ad terram promissionis perueniunt. Denique diluuium 40. dierum pluuiâ totum mundum inundauit, cumque peccatis expiauit. vide Ambros. Sermon. 23. 24. & 34. Chrysost. Homil. 1. in Genesim, Cyprianum, Sermon. de ieiunio Christi. Tertio, Quia sic Domino, cui de omnibus decimas dari lex iubet, soluimus decimas dierum anni; vt pulchrè tradit Gregorius Hom. 16. in Evangelia. constat enim annus diebus 365. huius numeri decima pars sunt 36. Primis Ecclesiæ temporibus, Quadragesimæ ieiunium propriè solum consta-

constabat sex hebdomadibus seu 36. diebus, & inchoabatur à Dominica Quadragesimæ, vt habetur cap. Quadragesimæ, dist. 5. dicebatur tamen ieiunium Quadragesimæ, includendo Dominicas; etsi illis non ieiunabatur. Postea Telesphorus, qui fuit nonus Pontifex, addidit septimam hebdomadam pro Clericis, nimirum eam, quæ est à Dominica Quinquagesimæ, vt patet cap. Statuimus. dubit. 5. Verum quia hæc lex moribus vrentium non est approbata, (vt Gratianus ad cap. In istis, ait) vel certè contraria consuetudine est abolita, præterquam in quibusdam Monasteriis, modò non obligat. Multi tamen pij viri abstinentiam carniùm à Quinquagesima incipiunt.

64. Mansit autem in Ecclesia consuetudo inchoandi hoc ieiunium à feria quarta Quinquagesimæ; tum vt 40. dies ieiunij expleantur; tum quia olim per totum annum extra tempus Paschale, feria quarta & sabbato ieiunabatur: & ita etiam solum 36. dies propriè ad Quadragesimam dicerentur pertinere, tamen re ipsa erant 39. assumptis tribus ex hebdomade Quinquagesimæ.

Ieiunium feria 4. & 6.
De ieiunio ferie quartæ & sextæ constat ex Epiphonio hæresi 75. vbi dicit hoc ab Apostolis institutum, & toto orbe receptum.

Sabbati ieiunium.
Sabbati ieiunium etsi non vbique, tamen in Ecclesia Romana & in Africa receptum erat, vt constat ex D. Augustino epist. 118. cap. 2.

65. Ieiunium quatuor temporum respondet quatuor anni quadrantibus, quibus insignes existunt aëris & corporum mutationes; nimirum veri, æstati, autumno, hiemi. Olim solum ter celebrabatur; sed Calixtus I. epist. 1. constituit quater fieri, vt habetur c. 1. Ieiunium, d. 76. Quibus autem temporibus fieri debeat, statuit Vbianus l. cap. 4. Statuimus, d. 76. vbi multa alia de hoc videre licet; & apud Couarr. lib. 4. var. c. 20. num. 9.

Ex his colligi videtur, ieiunium ferie quartæ, sextæ, & sabbati per annum non ita strictè obligasse, nisi ad abstinentiam carniùm: alioquin superfluum fuisset instituire ieiunium Quatuor temporum.

66. Ieiunia vigiliarum sunt ista, vigilia Natiuitatis Domini, & Assumptionis B. Virginis: vtunque habetur cap. 1. de Obseru. ieiun. Vigilia omnium Apostolorum, excepta vigilia Philippi & Iacobi, & Ioannis Evangelistæ. Ita habemus c. 2. eodem, vbi Innocentius III. Consultationi tua taliter respondemus, quod omnium Apostolorum vigilia sunt in obseruatione ieiunij celebranda, præter vigilia Apostolorum Philippi & Iacobi, & B. Ioannis Evangelistæ: quoniam ipsorum solemnitas intra solemnitatem Paschalem, istius autem intra Natale Domini celebratur. Vnde patet, Concilium Prouinciale non posse ieiunium vigilia sanctorum Bartholomæi, Matthiæ, Iacobi, vel Thomæ tollere; quia non potest tollere legem aut consuetudinem Ecclesiæ vniuersalis. Si tamen in aliquo loco longa consuetudine receptum esset vt illis diebus non ieiunetur, excusaret à peccato: sicut enim consuetudo potest tollere obligationem seruandi Festi S. Bartholomæi, vt habetur d. cap. 2. ita etiam obligationem ieiunij, eadem est ratio aliorum festorum & ieiuniorum; quamquam difficilius sit consuetudinem contra illustriora inualescere, quàm contra minus illustria.

Quatuor ieiunia ex consuetudine.
Præter hæc sunt quatuor Ieiunia, quæ etsi Iure scripto non contineantur, tamen generali Ecclesiæ

consuetudine seruantur; Vigilia S. Ioannis Baptistæ, S. Laurentij, omnium Sanctorum, & Pentecostes, vt communiter tradunt Doctores.

Ex his patet, ieiunia, ad quæ Iure scripto obligamur, esse 56. nimirum quadragesimam in Quadragesimam, nouem ratione Quatuor temporum, (nam tria incidunt in Quadragesimam) & septem vigiliarum. His adde quatuor vigiliarum ex consuetudine; & præterea quæ cuique loco sunt peculiaria.

Petes, Vtrum Dominico die fas sit ieiunare. Respondeo, Si non fiat ex aliquo errore, vt fiebat à Manichæis; nec ex contemptu moris ecclesiastici, & scandalum absit, posse ex aliquo honesto motiuo fieri. vnde & multi Eremitæ diebus Dominicis ieiunabant, vt ex Vitis Patrum constat.

D V B I T A T I O X.

De ieiunij commodis.

69. **M**axima commoda adfert ieiunium, sed potissimum quinque. Primò, Præstat corpori bonam valetudinem, & agilitatem; arcendo omne pænè genus morborum: nam ferè omnes morbi ex eo proueniunt, quòd homo plus ingerat quàm natura possit rectè conficere ac dispensare, & superflua discutere. Hinc vertigines, apoplexia, paralysis, & varij capitis dolores: hinc tusses, asthmata, & phthisis, & pectoris mala: hinc variæ cruditates & lacerationes in stomacho: ileus, colica, dysenteria, diarrhoea in intestinis: obstructions in mesenterico, in hepate, in splene: calculi in renibus: hinc omnes morbi articulares: hinc crudis humoribus corruptis multæ febrium species. vnde meritò dixit Demetrius Epagomenus: Ἀδδραγία ἢ πολυποσία πλείων νοσημάτων αἰτία, Saturnitas & larga potio plurimorum morborum causa; & vulgò dici solet, Plures occidit gulâ, quàm gladio.

Ieiunium verò causas morborum tollit: nam facit vt perfecta sit concoctio, & facilè consumit & discutit quicquid ex prima, secunda, vel tertia concoctione est superfluum; quod alioquin istorum morborum est causa. Hinc Cyprianus, vel quicumque est auctor Serm. de ieiunio Christi, Ieiunium carnes azymas mundat, & solidat; & putredines, quæ ex adipe procedunt, consumit & siccât.

Secundò, Longauitatem præstat: dum enim arcet vel consumit humores naturam grauantés, & calorem natium opprimentes, vis naturæ manet integra & sui iuris, vitamque extendit quam diu naturaliter produci potest: ita vt homo non nisi mero senio, & naturæ defectu viuere desinat. Confirmatur, Quia plerique ante istam ætatem morbis oppressi decedunt, quos morbos ieiunium excludit. Denique exemplo sunt Eremitæ, & multi SS. Patrum, qui vitam per ieiunium in extremam ætatem extenderunt, vt Paulus, Antonius, Hilarion, Hieronymus, Romualdus, Franciscus à Paula, & alij innumerj.

Neque est quòd hic recurat quis ad miraculum; quia ferè omnes ieiunio dediti, qui aliis laboribus fracti non fuère, longæui fuère. Noui Monasterium seminarum, tenuissimo victu vrentium, vbi etiam sexagenariæ & septuagenariæ nondum inter seniores censentur: vt meritò dixerit Sapiens Eccles. 37. Qui abstimens est, adiciet vitam.

Tertiò, Carnis tentationes extinguit, eamque

Q 99 2 Ipi-

67

Ieiunia 68.

An die Dominico.

68

69

1. Bona valetudo.

70

2. Longæuitas.

71

3. Tentationes carnis sedat.

Spiritus subijcit; hæ enim ferè proueniunt ex copia humidi & calidi redundantis: ieiunium autem ficit & refrigerat. Ita naturâ comparatum est, vt sanguis & luccus alendo corpori redundans, dispensetur in semen ad procreationem. tantum enim natura appetit in alimentis, quantum satis est ad proprii indiuidui conseruationem, & ad speciei propagationem. Sed istud vbi in sanguinem conuertum fuerit, ita distribuitur, vt primò inde quantum opus cedat alendo corpori: deinde quod superest facessit in semen ad generationem. Hinc illi stimuli libidinis, & imaginationes eò pertinentes. semen enim copiosum sollicitat ad expulsiõnem, & simul vim phantasticam congruentibus ad hoc imaginibus implet, vt difficillimum sit illam aliò diuertere. Itaque qui his carere cupit, illi gula ieiunio frænanda, vt non plus alimenti sumat quàm opus est ad corporis sustentationem; ita vt nihil vel parum superest quod in sperma abeat. Cyprianus Serm. de ieiunio: *Ieiunium vitiorum sentina fœccatur, petulantia marcescitur, concupiscentia languent, fugitiue abeunt voluptates, extinguuntur ardentis Aetnae incendium, & flammionum fornax Vulcani extincta intrinsecus, montes conterminos non adurit. Ieiunium, si discretionem regatur, omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gula spoliat & exarmat. Ieiunium extraordinarios motus in cippo claudit & arctat, & appetitus vagos distringit & ligat.* Basiliius Orat. 1. de ieiunio: *An ignoras, quod perinde atque in acie hinc atque hinc instructa ad conflictum, qui alteri parti ferè suppetias, facit vt altera vincatur? ita qui carni se adiungit, expugnat spiritum: & qui stat à spiritu, carnem in seruitutem redigit. proinde si cupis mentem reddere validam, fac vt carnem domes ieiunio.* Augustinus libro de utilitate ieiunij Tomo 9. (videtur esse sermo ad plebem) cum dixisset non esse audiendum tentatorem suggerentem, *Quid facis, quia ieiunas? deseras animam tuam, tibi ipse ingeris panem, tuus ipse tortor es, &c.* subicit: *Responde ei per hanc similitudinem: Si iumento forte insideres, si equo uteris, qui te gestando possit precipitare, nonne vt securus iter ageres, cibaria ferocenti subtraheres, & fame domares quem frano non posses? Caro mea iumentum est: iter ago in Ierusalem: pleurumque me rapit, & de via conatur excludere: via autem mea Christus est, ita exultantem non cohibebo ieiunio? Denique omnes Sancti hoc præcipue remedio ad carnem domandam vsi sunt.*

72
4. Sensus exacuit.

Quartò, Sensus externos & internos exacuit, ac proinde etiam intellectum serenat, & ad omnes suas functiones aptiorem reddit: consumptis enim humoribus & vaporibus caput opplentibus, magna serenitas oboritur menti, & facilitas ad studia pulcherrimarum disciplinarum, ad orationem, meditationem, & rerum diuinarum contemplationem, vt quotidiana experientia docet. Idem testantur Patres. Chrysofomus Hom. 1. in Genesim: *Ieiunium leues pennas anima producit, vt in sublime feratur, & summa contemplari queat, voluptatibusque & omnibus que in hoc mundo habentur suauia, ipsa sit superior. Et sicut leuiores naues maria facilius transeunt; contra multis oneribus grauata submerguntur: ita ieiunium leuiorem reddens mentem, efficit vt facilius huius vite pelagus transmittat, & in caelum, ac ea que in calis sunt respiciat, & nubes faciat presentia; sed vt umbras & somnia, & si quid minus, dissipare censeat, &c.* Leo Serm. 2. de ieiunio deci-

mi mensis: *Semper virtuti cibus ieiunium fuit: de abstinentia procedunt casta cogitationes, rationabiles voluntates, salubria consilia, & per voluntarias afflictiones caro concupiscentis moritur, virtutibus spiritus innotatur.* Vbi aduerte, vocari cibum virtutis, quia virtus alitur & crescit ieiunio. Sic ieiunium est alimentum anime: sicut enim cibus iste corporalis impinguat corpus, ita ieiunium animam habiliorem & valentorem reddit.

Quintò, Animam ad diuinas illustrationes aliisque charismata preparat; idque duplici ratione. Primò, Quia mens in sereno versans, aptior est à Deo tangi, & celestia sentire. etsi enim Deo volenti illuminare, nullum impedimentum aut ineptitudo hominis possit obistere; ordinariè tamen requirit vt homo se disponat, & quantum potest idoneum reddat. Secundò, Qui se à carnis solatiis auocant, merentur solatia spiritus. Cyprianus supra: *Quotquot viros virtutum vidimus, sine ieiunio non legimus ascendisse: nec aliquid magnum moliti sum, nisi prius abstinentia præcessisset.* & paulò antè: *Ieiunium Scripturarum delicias patitur, contemplatione reficitur, gratia stabilitur, celesti pane nutritur.* Danieli interpretatio somniorum reuelatur ieiunio, & tres pueri de Babylonia egrediuntur incendio. Basiliius Orat. de ieiunio, fuse hunc locum profectur, allatis exemplis Scripturæ. Primum de Moyse, qui 40. dierum ieiunio cum animum præparasset, admissus est ad colloquium Dei, & Legem accepit: idque tabulis ob peccatum populi fractis, secundò factum est. Deinde de Elia, Eliam, inquit, magni illius miraculi spectatorem ieiunium fecit, &c. De Daniele sic ait: *Ac ne Daniel quidem ille sapiens visiones videre meruisset, nisi ieiunio reddidisset animam limpidiorem, siquidem è copiosiore pastu, cum fumosi quidam vapores exhalantur, qui lucem S. Spiritus in hominis mentem irradiantem, quasi densa nubes interueniens, interceptiunt.* Eadem habet Chrysofomus Homil. 1. in Genesim. Adde, donum prophetiæ & miraculorum vix vili concessum, qui non eximius ieiunij cultor fuerit.

Sextò, Flagella impendientia auerit, & pro peccati reatu satisfacit. constat exemplo Ninuitarum, Ionæ 3. & Regis Achab, 3. Regum 21. qui flagellum impendens ieiunio redemerunt. Denique Prophetæ passim ad hunc finem ieiunium prædicabant, Ioel. 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu & planctu; & scindite corda vestra, &c.* Matth. 3. *Progenies viperarum, quis demonstrat vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructum dignum penitentia.* Inter fructus seu opera penitentia, maximè semper habitum est ieiunium, vt constat exemplis allatis, & aliorum, qui penitentia se dederunt.

Septimò, Quæuis beneficia impetrat, præsertim orationi coniunctum. Cyprianus id fuse declarat: *Quoties (viri sancti) aliquid à Deo obrinere conati sunt, ieiunij incubere & lacrymis, & pernoctantes in orationibus, cunctis carniherentibus, supplices beneficia postularunt, nec desuit prouentus, &c.* Danielis 10. *Noli metuerè Daniel, quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum vt te assigeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua.* Illa autem afflictio erat per ieiunium, vt ex verbis præcedentibus constat. Matth. 13. de pessimo genere demoniorum dicitur, *Hoc genus in nullo eicitur, nisi in oratione, & ieiunio.* D. Thomas in difficultatibus sacrae Scripturæ orationi iungebat ieiunium.

73
5. Illustrat animam aptat.

74
6. Flagella auerit.

75
7. Impetrat.

ieiunium, vt à Domino intelligentiam impetraret, vt refertur in vitæ ipsius Historia.

76
8. Est meritorium.
O⁸taud, Est meritorium mercedis apud Deum etiam vitæ æternæ, Matth. 6. *Tu autem cum iuinias, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito: & Pater tuus, qui est in abscondito, reddet tibi; nimirum mercedem cælestem, de qua mox subdit, Thesaurizate vobis thesauros in celo, &c. Jeremia 35. Rechabitis, quod obediuisent patri in abstinentia vini, & mansione in tabernaculis, promittitur luculenta merces; nimirum vt non deficiat ex stirpe eorum stans in conspectu Domini cunctis diebus. Denique, esse meritorium, est commune omnibus operibus bonis, in statu gratiæ factis; vt orationi & eleemosynæ, vt ex Scripturis constat, quibus virtus orationis & eleemosynæ commendatur: ergo etiam ieiunio; est enim opus bonum, & commendatur cum ceteris Tob. 12. *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere.**

Ex his patet, quantum bonum sit ieiunium.

Porro has & alias commoditates quidam Patres confertim expressere, vt simul menti propositæ magis alliciant. Basilius Oratione 1. *Ieiunium Prophetas generat, potentibus robur addit. Ieiunium legumlatoribus subministrat sapientiam, bona anime custodia, corpori iustus conuictor, armatura fortiter bellantibus, athletis exercitatio, hoc tentationes depellit, hoc ungit ad pietatem, vigilia familiaris comes, sobrietatis architectus, in bellis addit fortitudinem, in pace docet quietem. Nazareum sanctificat, sacerdotem reddit sacris idoneum, &c. Chrysostomus Homil. 1. de Ieiunio, Tom. 5. *Ieiunium Angelorum imitatio est pro nostra virginitate, contemptus presentium, schola precum, alimonia anime, frantum oris, & mitigat concupiscentias; seium qui ieiunant: & mitigat voluptates; non ignorant qui tentantur: mollit furor, compefcit iram, sedat fluctus nature, excitat rationem, clarum facit animum, allenuit carnem, fugat nocturnas faditates, ab ebrietate liberat, capitis dolores tollit, claros adfert & colores & aspectus. & alia quæ sequuntur. Vide plura apud prædictos Patres, & Ambrosium lib. de Elia & ieiunio.**

DUBITATIO XI.

Quid heretici in ieiunio Catholicorum reprehendant, & eorum brevis refutatio.

77
Heretici in nostro ieiunio sex conditiones calumniantur.
1. Delectu ciborum.
H⁷⁷eretici huius temporis, sex quasdam conditiones vel circumstantias in nostro ieiunio calumniantur. Primò, Quòd in eo seruemus delectum ciborum, abstinentes à carnibus, & etiam ab ouis & lacticinis in Quadragesima: esse enim doctrinam demoniorum abstinere à cibus, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & is qui cognouerunt veritatem, vt inquit Apostolus 1. ad Tim. 4. quod confirmant, quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reycendum, quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. vnde Matth. 15. *Non quod intrat in os coquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coquinat hominem.* Deinde delectum ciborum perinere ad seruitutem legis veteris & Iudaicas carimonias. Ad Coloss. 2. *Nemo vos iudicet in cibo, & potu, & parte diei festi, &c.*

Ad hoc respondendum est, Nos non abstinere à carnibus aut aliis cibus tamquam immundis, sicut ab illis abstinabant Iudæi, & quidam heretici; (alioquin nunquam illis vesceremur, sicut nec illi vescerantur) verum causâ domandi corporis, & vacandi melius orationi; & ob alios fines supra dictos: vt docet D. Augustinus contra Adimantium cap. 14. & contra Faustum lib. 30. cap. 5. & Theodoretus, de diuinis decretis cap. vlt. quo modo Daniel à carne, vino, & pane delicatore per tres hebdomadas abstinit, Dan. 10. & Rechabita à vino, Jerem. 35. & Nazareæ ab omni eo quod inebriare posset, Num. 6. & Ioannes Baptista ab omnibus deliciis, solo melle siluestri & locustis contentus: quo modo ab initio nascentis Ecclesiæ viri sancti & fideles omnes, in ieiunio, à carnibus & aliis quibusdam cibus abstinerunt; vt ex supradictis constat.

Ad testimonium Apostoli Respondeo, Ipsam loqui de abstinentia, quæ fit à cibus tamquam naturâ suâ immundis. prædicat enim spiritu Prophético, fore hereticos, qui instinctu demonum iuberent abstinere à nuptiis, tamquam malis; & à cibus quibusdam, tamquam immundis. Tales fuerunt postea Tatiani, qui & nuptias damnabant, (vnde dicti Encratitæ, quasi continentes) & à carnibus, tamquam immundis abstinentium docebant, teste diuo Augustino hæresi 25. Tales Manichæi, qui similiter damnabant nuptias, & vnum dicebant esse *seu Principium tenebrarum*; vnde ab eo prorsus abstinentium. Item à carnibus, tamquam de mortuis vel occisis suserit diuina substantia, tantumque ac tale inde rem. inserit, quod iam dignum non sit in electorum ventre purgari; vt inquit D. Augustinus hæresi 46. & ab ouis, quasi ipsa cum franguntur, expirent; vt ibidem ait. Tales autem Priscillianistæ quoque, qui & nuptias detestabantur, & carnes tamquam immundas escas vitabant, teste eodem, hæresi 70. De his & similibus loquitur Apostolus; & contra eos valet eius ratio. Ita passim hunc locum exponunt Patres, Augustinus contra Adimantium, cap. 14. Chrysostomus Homil. 12. in 1. ad Timoth. Ambrosius, Theodoretus, & alij in hunc locum.

Ad confirmationem: Illo loco Matthæi solùm significatur hominem nõ coquinari ex eo, quòd non lotis manibus manducet, sicut Pharisæi putabant: non enim agitur ibi de ciborum delectu; neque Pharisæi reprehendebant discipulos quòd cibus lege veteris vterentur. Potest tamen illa sententia etiam generaliter accommodari: etsi enim durante lege veteri essent aliqui cibi, qui censerentur immundi, non naturâ, sed mysterio & significatione, ex illius legis decreto; tamen post mortem Christi omnis hæc immunditia est sublata; vnde Actor. 10. dicitur Petro, *que Deus purificauit, tu ne commune dixeris.* & Apostolus ad Titum 1. *Omnia munda mundis.* Itaque modò à nullo cibo tamquam immundo abstinentium est: quia neque naturâ immundus est, vt heretici volebant; neque significatione, vt tempore legis veteris. Quare nihil, quod intrat in os, coquinat hominem; nimirum per se & vi suâ, sicut Iudæi putabant: potest tamen coquinare ratione inobedientiæ, qua sumitur; sicut potest ratione scandalij, cum quo sumitur: quo modo vesci carnibus die ieiunij coquinat animam.

Ad alterum Respondeo, Iudaicum esse absti-

nerè à certis cibis tamquam ex lege immundis: hæreticum autem, tamquam naturâ immundis: Christianum & Catholicum, tamquam per se bonis; sed mortificationi carnis non satis accommodis, & ob eam causam ab Ecclesia certis diebus vetitis. Apollolus autem loco isto ad Colofens. 2. loquitur de primo & secundo modo abstinenti; non de tertio.

82
2. Delectu dierum.
Secundò, Reprehendunt quòd certis diebus ieiunia sint dicata, more Iudaico. Idem olim criminatus est Aërius, vt patet ex Epiphano, hæresi 75. & Augustino, hæresi 53.

Ad quod Respondeo, Nos neque iisdem diebus quibus Iudæi, neque ob easdem causas ieiunare: itaque nihil hîc Iudaicum. Quinam verò sint illi dies, & quas ob causas delecti, supra dubit. 9. dictum est.

83
3. Quod ex obligatione.
Tertiò, Quòd ex præcepto ieiunemus: hoc enim pertinere ad iugum legis veteris, non solum nostri hæretici, sed etiam olim Aëriani docuerunt; vt ex Epiphano & Augustino locis notatis constat. Sed hoc satis supra refutatum est dubit. 5. & sanè si ieiunium liberè obitum bonum est, nulla est ratio cur reddatur malum ratione præcepti: præceptum enim operi bono non aufert bonitatem, quam per se habet, sed potius nouam addit, dum facit vt agatur non solum ex affectu boni proprii, sed etiam ex affectu obedientiæ.

Obiectio. Dices, Si quis ieiunet ex præcepto legis veteris, peccat superstitione: ergo præceptum potest opus aliàs bonum efficere malum.

Resp. Respondeo negando consequentiam, si loquamur de vero præcepto: præceptum enim legis veteris non est præceptum huius temporis, sed solum valet pro tempore veteris Testamenti. vnde ex affectu illius nunc ieiunare, est superstitio; quia est professio doctrinæ perniciosæ, nimirum legem veterem adhuc durare. Secus autem cum ex præcepto Ecclesiæ, quia tali modo nullum errorem profiteamur; sed agnoscimus Ecclesiæ potestatem ad huiusmodi opera bona & salutaria præcipienda, quam potestatem, illam habere constat ex Scripturis, vt supra dub. 5. dictum est.

Neque per hoc præceptum Ecclesia nos seruituti legis subijcit, quia non præcipit tamquam caerimoniam legis; sed tamquam opus morale, pertinens ad legem naturæ, & simul tamquam cultum quemdam nouæ legi accommodatum: sicut nec per cultum diei Dominicæ, & aliorum Festorum; nec per solutionem decimarum vel primitiarum, legi veteri subijcitur.

84
4. Quod cum opinione cultu.
Quartò, Quòd ieiunemus cum opinione cultus, putantes per hoc nos Deo placere: hoc enim putant esse supersticiosum; nihil enim ad cultum adhibendum, nisi quod Deus præcepit.

Sed respondendum est, Id fundamentum esse vanissimū: non enim ideò opus est bonum, & Deo placens, quia præceptum; sed ideò præcipitur, quia bonum, & quia placet. Deinde quis vniquam Princeps noluit sibi deferri vllum obsequium, nisi quod ipse præcepisset: vel repudiavit sponte oblatum, eò quòd ipse non mandasset: quinimò gratiora solent esse obsequia sponte oblata, quam quæ solius præcepti auctoritate exprimentur. Verum de hoc plura sup. lib. 2. cap. 40. dub. 6.

Itaque etsi ieiunium non sit à Deo præceptum, tamen optimè fit ad eius cultum; Primò, Quia in Scripturis commendatur, sicut oratio & elec-

mosyna, quibus Deus colitur, Tobia 12. Danielis 10. Ioëlis 2. Math. 6. Act. 13. Secundò, Quia Luca 2. expressè dicitur de Anna Prophetissa, Non discedebat de templo ieiunans & obsecrationibus seruens nocte & die. quibus verbis aperte significatur ieiunium esse cultum & seruitutem Dei: nam Græcè est *κατὰ νόσον*, quod cultum latine significat. Idem insinuat Act. 13. & 2. ad Cor. 6. Tertio, Idem comprobatur vsus omnium gentium, quæ ieiuniis numen se colere putant. Quarto, Quia omne opus bonum, quod fit studio honorandi Deum, vel illi placendi, vocatur cultus & seruitus in Scripturis; vt supra ostensum est, & ipsi hæretici fatentur: tale autem est ieiunium.

Quintò, Quòd vsurpemus ieiunium ad satisfaciendum pro peccatis. Sed ad hoc valere colligitur Ioëlis 2. & Ionæ 3. & ex aliis locis. vide dubit. 10.

Sextò, Quòd illo vtamur ad aliquid à Deo promerendum vel impetrandum. de quo supra dub. 10. Hæc duæ postremæ criminationes non ad solum ieiunium, sed generatim ad omnia bona opera pertinent; de quibus plura 1. 2. q. 114. & 3. p. Tractatu De satisfactione.

D V B I T A T I O X I I .

Quid sobrietas, & quod eius officium.

D. Thomas quaest. 149.

Hoc nomen tripliciter accipitur. Primò, Generatim pro virtute temperantiæ: Sap. 8. Sobrietatem & prudentiam docet. vbi Græcè est *σωφροσύνη*, id est, temperantiam. Simili modo accipitur ad Titum 2. Sobriè, & iuste, & pie viuamus, Græcè, *σωφρονως*. Secundò, Magis strictè, pro temperantia cibi & potus. ita vulgò dicuntur *sobrii*, non solum qui parè bibunt, sed etiam qui parum comedunt. Tertio, Strictissimè & propriè pro moderatione potus valentis inebriare. propriè enim *sobrii* dicuntur, (Græcè *νῆφροι*) qui in potu inebriante ita sibi temperant, vt iudicij serenitatem conseruent. sicut è contrario *ebrii*, qui debitam mensuram excedunt; ita vt iudicium notabiliter offuscetur: sic accipitur crebrò in Scripturis, Eccles. 31. ad Tit. 2. 1. Pet. 5. & alibi.

Hoc modo accepta sobrietas est virtus, qua affectum & usum potus inebriare valentis, debite moderatur. Affectum, quia cum sit species temperantiæ, versatur immediatè circa passionem. Usus, quia in vsu externo materiæ perficitur opus virtutis moralis: nimirum quando formam suam, hoc est rationis regulam, non solum affectui interno, sed etiam operi externo imprimit, vt supra sapius ostensum est. Imò ideò formantur affectus interni ad virtutis normam, vt illorum moderatio in opera externa redundet.

Potus inebriare valentis; hæc enim est propria materia, etsi remota, huius virtutis. si non possit inebriare, non pertinebit ad hanc virtutem; neque excessus erit contra sobrietatem; sed contra virtutem abstinentiæ, vt rectè D. Thomas art. 2. ad 1. vt si quis excedat in potu aquæ ob voluptatem, quam percipit vel ex refrigerio, vel ex eius dulcedine, si sit saccharata.

Debite moderatur. Vt hæc moderatio debito modo fiat, debet congruere serenitati mentis & iudicij, ita vt eam nullo modo lædat, aut notabiliter obre-

obtenebret. hoc enim propriè est officium huius virtutis, eà mensurà vti potu inebriante, quando eo vrendum est, quæ mentis functiones non impediatur, vel offendant.

88 *Obisio.* Dices, Ergo hæc virtus non distinguitur à virtute abstinentiæ; quia etiam huius officium est, vti moderate cibo & potu, vt congruit valetudini & functionibus mentis.

Resp. Respondeo, Si nomen abstinentiæ sumatur vt vulgò solet, & sicut à sanctis Patribus passim vsurpatur, *sobrietas* est pars abstinentiæ: nemo enim dicitur habere virtutem abstinentiæ, qui est intemperans vini, vel alterius potus inebriantis, quantumvis alioquin sit moderatus in vsu cibi & potus imbecillioris.

Si verò hoc nomen strictissimè sumatur, vt accipit D. Thomas, sic potest inueniri aliqua distinctio: nam congrua moderatio in vsu vini (sub viuo intellige omnem potum vinosum, & inebriantem) habet peculiarem difficultatem; quæ non est in moderatione cibi & potus alterius: tum quia homines passim sunt magis procliuēs ad excessum in vino, quàm in cibo: tum quia excessus in illo est multò facilior: tum denique quia est grauior, & maiorem noxam infert; vt Prouerb. 23. dicitur: *Ingrreditur blande, & in nouissimo mordebit vt coluber.* Hinc fit vt in eius vsu requiratur peculiaris virtus, quæ hæc præstet; quam propriè vocamus *sobrietatem*, à seruanda bria; (quæ vox mensuram vini significat, iuxta Donatum) eò quòd maximè in vsu vini, moderatio seu mensura sit adhibenda. Quæ verò moderationem adhibet in vsu cibi & potus alterius, (v. g. aquæ, vel lactis) in qua non est tanta difficultas, nec tantum periculi, communi nomine dicitur *abstinentia*.

89 *Quibus hæc virtus maxime necessaria.* Petes, In quibus maximè hæc virtus requiratur. Respondeo, Esse quidem aliquo modo necessariam omnibus, peculiari tamen ratione Episcopis, Principibus, & senibus; præterea feminis, & adolescentibus, vt rectè D. Thomas art. 4. Prima pars patet, tum quia omnes debent resistere tentationibus carnis, quas absque hac virtute moraliter impossibile est vincere: *Luxuriosi enim res vinum, vt ait Sapiens, Prouerb. 20.* (nimirum si immoderate sumatur) & Apostolus ad Ephes. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria:* tum quia omnes debent esse vigilantes, & excubare animo aduersus insidias diaboli; quod absque hac virtute fieri nequit. vnde Apostolus Petrus Epist. 1. cap. 5. *Sobrius estote, (Græcè νηφελῆς) & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circumit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* & 1. ad Thessal. 5. *Nos, qui dei sumus, sobrii simus; Græcè νηφελῆς:* tum denique quia *ebriari regnum Dei non possidebunt, 1. ad Cor. 6.*

90 Secunda pars probatur: Episcopi enim, Principes, & senes præ ceteris ad functiones sibi proprias requirunt mentis serenitatem, quam præstat sobrietas.

Episcopi quidem, (sub quibus intelligendi ceteri Ecclesiæ ministri, vt notat D. Thomas) quia ipso forum est vacare orationi, lectioni sacra, erudiendo populo, & Sacramentorum administrationi; quæ omnia mentem puram, serenam, & peruiolem requirunt. Vnde Apostolus inter cetera, quæ in Episcopis requirunt, ponit sobrietatem.

Principes, quia debent populum sibi subditum iuste gubernare: ad quod summa vigilantia opus

est, tum vt idoneos ministros constituant; tum vt iam constitutis inuigilent, vt hi officium præstent, ne priuatis potiùs commodis, quàm bono publico studeant; tum denique vt peculiariter curent ne causæ pauperum negligantur, vel peruertantur. Vnde Prouerb. 31. *Noli Regibus, o Lamuel, noli Regibus dare vinum; quia nullum secretum est, vbi regnat ebrietas. & Ne forte bibant & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis.* Vide de hoc plura apud Alexandrum ab Alexandro lib. 3. cap. 11.

Denique senes, quia in his ratio vigere debet ad aliorum eruditionem: nihil enim turpius ebrioso & fatuo sene. vnde Apostolus ad Tit. 2. iubet moneri *senes vt sobrii sint.*

91 Tertia pars patet; adolescentibus enim est necessaria sobrietas, ob feruorem illius ætatis. vnde ante annum trigesimum vinum bibere, etiam viris, apud Romanos criminofum erat, vt Alexander ab Alexandro loco citato refert.

Feminis verò ob iudicij debilitatem, quod facile vsu vini perturbatur: eo verò perturbato, facile aliquid indecori committunt. vnde olim apud Romanos mulieribus vinum bibere non licebat, teste Plinio lib. 14. cap. 13. & Valerio Maximo libro 2. cap. 1.

DVBITATIO XIII.

Quid castitas, & in quibus rebus versetur.

D. Thomas quæst. 161.

92 *Castitas generalis.* **C**astitas propriè significat puritatem quamdam, à voluptatibus & actibus carnalibus, in quibus est peculiaris quædam turpitudine & impuritas, alienam. Generatim verò, vel potiùs per metaphoram, puritatem animi ab omni amore & delectatione inordinata creaturarum; atque ad eò ab omni labe peccati, quæ in amore creaturarum malè ordinato consistit. quo modo dixit Apostolus 2. ad Corinth. 11. *Respondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Sic D. Augustinus lib. de Mendacio, cap. 20. *Castitas animi est amor ordinatus, non subdens maiora minoribus.* & hanc dicit pudicitia corporis anteferendam. Verùm nos hic de *castitate* propriè loquimur, quæ circa voluptates carnis versatur.

93 *Officium castitatis.* Igitur sicut abstinentia moderatur affectum & vsum in esculentis, sobrietas in poculentis; ita *castitas* in venereis, ne plus, alio tempore, loco, modo illis delectemur, vel vtamur, quàm rectæ rationis præscripto secundum præsentem statum congruit.

Est autem *castitas* alia perfecta, alia imperfecta. *Perfecta* est quæ ab omnibus voluptatibus carnis, tam licitis quàm illicitis, perpetuò abstinere proponit: vnde etiam affectum nuptiarum excludit.

Imperfecta est, quæ vel solum ad tempus id proponit, vel solum ab illicitis abstinere, & licitis moderate vti, vt in matrimonio. Hæc autem moderatio consistit in debito loco, tempore, modo, & fine. qui enim cum hisce circumstantiis matrimonio vtitur, ab aliis abstinet, castitate coniugali præditus est.

94 *Obiectio.* Dices, Etsi abstinere à voluptatibus illicitis, & in licitis adhibere debitam moderationem, sit per se honestum, ac proinde virtutis obiectum; tamen non videtur per se honestum, abstinere licitis & moderatis: tum quia nemo in statu innocentie ab illis

illis abstinuerit, cum pertineant ad speciei humanae propagationem; tum quia usus illarum est actus virtutis; ac proinde abstinentia illarum non potest esse virtutis opus; quia virtus virtuti non est contraria.

Resp.

Resp. Si per se honestum dicatur id, quod in omni statu, & cum quibusvis circumstantiis honestum est; sic abstinere ab illis voluptatibus non est per se honestum; quia initio mundi, genere humano nondum satis propagato, honestum non fuisset: sicut neque ieiunia, aliaque afflictiones honestae fuissent in statu innocentiae. Si vero per se honestum dicatur, quod in praesenti statu cum circumstantiis nunc passim occurrentibus, absque relatione ad finem extrinsecum, honestum est; sic abstinere à licitis voluptatibus matrimonij est per se honestum, quia non solum quatenus sit propter Deum est honestum, sed etiam ex propria ratione, quatenus id per se hominem liberat multis rerum saecularium curis, & reddit magis idoneum & expeditum ad functiones mentis, facitque similitudinem spiritibus Angelicis. & hac ratione est obiectum virtutis castitatis. Vnde castitas perfecta videtur specie distingui à castitate coniugali; (quod etiam insinuat D. Thomas q. 152. art. 3.) quia alia ratio honesti & laudabilis reperitur in absoluta abstinentia, alia in moderato usu.

Castitas
coniu-
gialis
specie
dis-
tinguitur
à perfecta.

95

Materia
castitatis.

Ex dictis facile intelligas quae sit castitatis materia, & quod officium. Proxima enim materia sunt interni concupiscentiae motus; hos enim vel comprimit, vel secundum rationis normam componit.

Remotior, sunt actus externi, qui vel sunt prauij coniunctioni, ut aspectus, oscula, tactus; vel sunt ipsa coniunctio. Et quidem ut haec virtus circa ipsam coniunctionem versatur, affectum ab ea auocando, vel debito modo ea vitando, vocatur castitas: ut verò circa actus prauios simili modo se habet, pudicitia, ut D. Thomas annotauit. est tamen vna eademque virtus circa prauiam, & circa ordinatum affectum & usum venereorum refecat; pudicitia, quatenus pudori, qui in usu illorum esse solet, est conformis. De laude castitatis vide D. Augustinum Serm. 249. de tempore.

Pudicitia.

D V B I T A T I O X I V.

Quid sit Virginitas.

D. Thomas q. 152.

96
Dupliciter
accipitur.

Virginitas à virore dicta putatur, quia denotat immunitatem à concupiscentiae adultione: quae adultio fit cum homo illius motibus consentit.

Dupliciter hoc nomen accipitur. Primò, Pro carnis integritate, libidinosa contagionis experte: & sic non est virtus, sed quid naturale; cum quo nascimur: quod etiam inuiti perdere possumus.

Secundò, Pro voluntate & proposito illius integritatis & puritatis seruandae, vel perpetuò, vel saltem vsque ad tempus coniugij: & hoc modo virtus est. & quidem si vsque ad tempus coniugij dumtaxat, non est proprie virginitatis virtus; (nam simul consistit cum proposito virginitatis & integritatis violandae) sed status quidam castitatis, ut inquit Caietan. art. 1. §. Ad euidentiam: ubi ad virginitatem, ut denotat statum castitatis,

duo requirit. Ex parte quidem corporis, non esse voluntarie pollutum: Ex parte animi, propositum ita se seruandi, nisi matrimonio iungatur.

At virtus virginitatis prorsus tale propositum excludit: quia neque in re, neque in affectu cum violatione stare potest. Hanc D. Augustinus libro de Sancta virginitate cap. 13. sic definit: *Virginitas est in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio.* Itaque haec virtus in subiecto supponit & connotat integritatem carnis, & immunitatem à contagio libidinis; & formaliter in eo sita est, quòd hanc perpetuò tueri intendat, omnia illi contraria vitando.

Meditationem vocat, quia est propositum multam curam & meditationem postulans, ut illum thesaurum conferuet.

Dices, Illa integritas & puritas est quid naturale: ergo eius conseruatio non est virtus, sed quiddam per se indifferens. Conseruatur, quia habere illam, non est obiectum per se honestum: ergo circa illam per se non versatur aliqua virtus; omnis enim virtus est amor & affectus boni per se honesti.

Respondeo, Illam integritatem carnis dupliciter spectari posse. Primò, Ut est à natura, vel ut eius conseruatio non est in nostra potestate: & hoc modo non est obiectum huius virtutis, quia non est laude aut vituperio digna. & hac ratione rectè dixit D. Thomas art. 1. Integritatem carnis per accidens se habere ad virtutem virginitatis; nam sine huius virtutis amissione potest amitti.

Secundò, Ut subest nostrae potestati: & sic est obiectum virtutis; quia laudabile est, cum in potestate tua fuerit libidinis contagione inquinari, non esse tamen inquinatum: sicut laudabile est cum potueris transgredi, non esse transgressum, & seruasse innocentiam: nam illud ipsum per se est dignitas quaedam & ornamentum naturae rationalis, per quod & longius recedit à conditione brutorum, & propius accedit ad similitudinem Angelorum, ut dictum est de castitate.

Dices, Innocentia, quae consistit in numquam peccasse mortiferè, est res laudabilis, & magnum ornamentum naturae; non tamen requirit aliquam peculiarem virtutem, sed sufficiunt illae virtutes, quae impediunt peccata, quibus amittitur innocentia; ergo similiter integritas illa non requirit aliquam virtutem, praeter eam quae impedit actus carnales, quibus illa amittitur, quae est castitas.

Respondeo, Hoc argumento rectè probari, virtutem virginitatis non distingui à castitate, nisi connotato; sed esse ipsam virtutem castitatis in subiecto incorrupto. vtriusque enim officium est vitare omnem libidinis contagionem, & subiectum seruare immune in posterum à tali labe. Sed virginitas vlteriùs connotat, hoc subiectum numquam antea fuisse libidine contaminatum: quod non includit ratio castitatis. Itaque virginitas, ut est virtus, nihil est aliud quam castitas perfecta, integritati & puritati carnis coniuncta. Perfectam voco, quae consistit in proposito abstinendi perpetuò ab omni voluptate carnali tam licita quam illicita. Imperfecta enim est, quae solum ab illicita, vel ad tempus abstinere proponit.

Nec obstat, quòd D. Thomas art. 3. in corpore dicat, virginitatem se habere ad castitatem sicut haec ut magnificientia ad liberalitatem; quia loquitur de castitate imperfecta, quatenus dicit propositum ad liberalitatem.

97

Definitio
virginitatis.

98

Obiecta.
Integritas
carnis.

Resp.

Quo modo
sit obiectum
virtutis.

99

Obiecta.
Innocentia
quid.

Resp.

Virginitas
quomodo à
castitate
distinguitur.

100

Ad casti-
tatem coniu-
galem se ha-
bet ut ma-
gnificientia
ad liberali-
tatem.

abstinentiā à voluptatibus illicitis, seu ab inordinatōe venerea voluptatis, vt ipse inquit: respectu enim huius virginitas habet quādam excellentiam, sicut magnificentia ad liberalitatem: quia sicut liberalitas versatur circa sumptus, & opera mediocria, magnificentia circa magna; ita castitas illa solum mediocre aliquid præstat, dum illicitas dumtaxat voluptates abdicat; virginitas verò magnum quiddam & arduum, etiam concessas perpetuò repudiāns. Proportio tamen non tenet in omnibus; quia virginitas non respicit suum obiectum sub ratione magni & ardui, sicut magnificentia; neque hoc D. Thomas intendit, vt rectè Caietanus art. 3. contra Martinum.

101
Obiectum
virginitatis.

Notandum est, etiam si obiectum virginitatis, nempe conseruatio integritatis & puritatis carnis, per se honestum sit; tamen quia est valde difficile, & nuda ratio honestatis, quæ illi per se inest, non satis virium habet ad animos hominum abique maioris boni spe alliciendos, raros vel fortè nullos in mundo esse, qui solo intuitu honestatis illius, rem tam difficilem amplectantur. Itaque plura motiua, & consequenter plures virtutum rationes concurrunt ad animum permouendum, v. g. quia Deo gratum; quia ipsi, voto dicatum; quia præbet facultatem meliùs Deo seruiendi; quia liberat à multis inutilibus & superfluis curis. Vnde ad diuersas virtutes iste integritatis affectus pertinere potest. Et hac ratione D. Thomas indicat, virginitatem, vt est virtus, importare propositum integritatis perpetuæ voto firmatum; (sub hac enim consideratione passim colitur) quo modo formaliter ad Religionem, & ratione solum materiæ ad temperantiam pertinet. Non tamen negat D. Thomas, quin virginitas etiam sit virtus abique voto, ratione propriæ honestatis, & pulchritudinis sui obiecti.

DVBITATIO XV.

Utrum Virginitas sit præstantior matrimonio.

D. Thomas q. 152. art. 4.

102 Comparatio fit non inter Sacramentum matrimonij (quod consistit in ipso contractu) & virginitatem, sed inter statum matrimonij & statum virginitatis, vt diuersas viuendi formas continent. In statu virginitatis generatim calibatam intellige.

Iouinianus, etsi fateretur, propter huius vitæ necessitatem, ne coniugales patiamur molestias, virginitatem esse præferendam; vnde nec ipse vxorem habere volebat, vt refert D. Augustinus l. de hæresi 82. tamen apud Deum hos status pares fecit, affirmans non maioris esse meriti cultum virginitatis, quàm matrimonij. Dicit, inquit Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, *virgines, viduas, & maritatas, quæ semel in Christo loca sunt, si non discrepent ceteris operibus, eiusdem esse meriti.* Eadem docent hæretici nostri temporis, quibus addunt etiam deteriora. Primò, Virginitatem non solum non esse maioris meriti apud Deum; sed esse impiam superstitionem, si cum opinione cultus, id est, veluti obsequium Deo gratum seruetur: Quia, inquit, omnis cultus à Deo non præceptus est superstitio. Secundò, si seruetur ob huius vitæ commoditatem, vel ob Euangelij præ-

Sententia
nostrorum
hæretico-
rum.

ditionem commodiùs obeundam, non esse quidem per se malam; stultum tamen esse fe ad illam obstringere, aut illam velle seruare, nisi quis habeat singulare quoddam donum continentie, quod paucissimis detur, & sciat se illud habere. Ita Lutherus in libello, quem inscripsit Epithalamium. & Caluinus libro 4. Institutionum capite 13. §. 17. 18. & 19.

Sed fide tenendum est, statum virginitatis coniugio esse præferendum, non solum ratione commoditatis huius vitæ, sed etiam propter fructum spiritalem & maius meritum apud Deum, atque adeò propter vitam æternam. Probat id fusè diuus Hieronymus libro 1. contra Iouinianum, & D. Augustinus lib. de Bono coniugali, & lib. de Sancta virginitate. Nos præcipua dumtaxat argumenta adducemus.

103
Sententia
Catholica.

Probat ergo Primò ex Scripturis. Matth. 19. 1. Probatur cum discipuli dixissent: *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere;* Dominus dixit illis: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est: sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt; & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; & sunt eunuchi, qui seipso castrauerunt propter regnum calorum. Qui potest capere, capiat.*

1. Probatur
ex Scriptura.

Ex hoc loco tria perspicuè colliguntur. Primò, Virginitatem esse coniugio præferendam; approbat enim Dominus quod dixerant discipuli, Non expedit nubere. Si non expedit nubere, ergo expedit non nubere, vt Hieronymus inquit: *melior ergo virginitas nuptiis.*

Secundò, Virginitatem esse præferendam propter regnum calorum, id est, vitam æternam, & non tantum propter vitæ huius commoditatem. Hæretici per regnum calorum intelligunt prædicationem Euangelij. Sed contrà. Quia sic castratio illa, quam Christus commendat, non pertineret ad feminas; (his enim non cõpetit Euangelij prædicatione) sed ad solos viros, eosque paucissimos, nimirum verbi diuini prædicatores. quod repugnat ipsi Caluino, qui supra num. 18. & 19. professionem cõlatus etiam feminis, sed senioribus permittit. Deinde est contra communem sententiam Patrum, qui hic præmium vitæ æternæ intelligunt. Hieronymus libro 1. contra Iouinianum, exponens hæc verba, *Proponit, inquit, & vobis premium, inuitat ad cursum, tenet in manu virginitatis brauium, ostendit purissimum fontem, & clamar: Qui sitit, veniat & bibat.* D. Augustinus l. de Sancta virginit. cap. 23. *Quid veracius, quid lucidius dici potuit? Christus dicit, veritas dicit, eos qui pio proposito ab vxore ducenda se continuerint, castrare seipso propter regnum calorum: & contrà humana vanitas impia temeritate contendit, (notent hoc hæretici) eos, qui hoc faciunt, presentem tantummodo necessitatem molestiarum coniugialium deuitare, in regno calorum amplius quidquam ceteris non habere.* Chryostomus Homil. 63. in Matth. *His omnibus ad optandam eligendamque virginitatem inducit. Possibile namque id esse hominibus, hoc modo confirmat. Cogita tecum si aut à natura es, aut inuicia hominũ sic effectus: quid faceres, cum & huiusmodi voluptate careres, & nullam carendo mercedem consequeris? Gratiã igitur Deo agas, quia magna præmia, rutilanteque coronas habebis, si ita viues, quemadmodum sine aliquo premio illi, &c.* D. Basilius lib. de vera virginitate, de istis spadonibus loquens: *Ipsi semet propter regna calorum*

Quid sit
propter regnum calorum.

Omnes in-
uitantur.

Meres
virginitatis.

Virginitatem
esse omnium
possibilem.

rum

rum ad virginitatis præclarum certamen exercent: coniugiumque & simul omne sæculum, eius seruanda causa, contemunt; regnum celeste cum sudore & gloriosis laboribus capeunt. Omitto ceteros; omnes enim idem docent.

104 Tertiò, Colligitur, virginitatem præponi omnibus, illamque seruare, per gratiam Dei esse in nostra potestate: omnes enim ad illam inuitat, cum ait: *Qui potest capere, capiat*: licet omnes inuitat ad fidem & doctrinæ suæ considerationem, cum ait: *Qui habet aures audiendi, audiat*. Ita docent Patres omnes, Hieronymus & Chrysoctomus in verbis allatis, & idem Chrysoct. Homil. illa 63. explicans illa verba, *Qui potest capere, capiat*; Ita, inquit, magis animat atque incendit; vel quia magnitudinem virtutis ostendit; vel quia inestimabili misericordia sua noluit rem in necessitate legis concludere. Et ad hæc possibile id esse monstrat, ut eligendi cupiditas crescere possit. Deinde obiicit: Si electionis opus id est, inquit, quo modo dixit: *Non omnes capiunt, sed quibus datum est?* Respondet: *Ut singulare id esse certamen perdisca, non ut forte datam necessitatem suspicaris. his enim datum est, qui sponte id eligunt. quod idem dixit, ut ostenderet superiore auxilio nobis opus esse; quod quidem omnibus paratum est, si volumus in hac lucta superiora euadere. solius quippe est, quando res ardua proponitur, uti hoc modo dicendi, similia habet Cyprianus lib. de habitu Virginum; Basilius lib. de vera virginitate, & alij, qui docent, generatim omnes ad continentiam inuitari.*

Quibus datum est capere.

Obiectio.

Quo modo omnes possunt vel non possunt capere.

Dices, Si omnes id possunt capere, quo modo dicit Dominus: *Qui potest capere, capiat?*

Respondeo, Capere hoc loco est practicè intelligere, id est, iudicare hoc sibi expediens esse ad salutem, ita ut affectus quoque in id trahatur. Itaque non omnes possunt capere, nimirum potentia propinqua & sufficiente: quia non omnes satis sunt instructi ut tantum bonum intelligant, nec diuinitus excitati ut illud ament, omnes tamen possunt capere potentiam remotam, quæ in actum reduci valeat, si velint. omnes enim (de Christianis loquor) cum audiunt virginitatis fructus prædicari, possunt perere ad Deo ut illuminentur, & illam valeant amplecti. Simili modo, omnes qui audiunt fidei prædicationem, possunt credere, quamuis fides non minus sit donum Dei, quam continentia. cur autem tali modo loquendi utatur, supra explicatum ex Chrysoctomo.

105 Probatum ex cap. 7. prioris ad Corinth.

Eadem veritas probari potest ex cap. 7. prioris ad Corinth. vbi multa in hanc sententiam habentur. Apostolus enim questionibus Corinthiorum respondens, dicit Primò, *Bonum est homini mulierem non tangere*, vnde infert Hieronymus: ergo malum est tangere, id est, minus bonum. Nec obstat quod subdit Apostolus: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat*. Non enim vult dicere ut quisque propter fornicationem ducat uxorem; alioquin, ut rectè Hieronymus ait, hac excusatione libidini si ana laxasset, ut quotiescumque vxor moritur, toties ducenda sit alia, ne fornicemur: sed suam, inquit, habeat, id est, sua utatur, quam habebat antequam crederet, quod sequentibus verbis fufius explicat, *Vxori vir debitum reddat, &c.*

Secundò, dicit, *Volo omnes vos esse sicut me ipsum*, id est, opto vos omnes esse cælibes: præfert ergo cælibatam coniugio.

Tertiò, *Dico autem non nuptis & viduis; bonum*

est illis, si sic permaneant, sicut & ego. Hic rursus cælibatam præfert.

Quartò, De virginibus præceptum Domini non habeo, (nimirum ut maneant in virginitate) consilium autem do tamquam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis. Nec obstat quod subdit, *Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem*: quasi virginitatem præferat propter necessitates huius vitæ. nam per instantem necessitatem intelligit necessitatem moriendi quotidie impendentem, & vitæ huius breuitatem; ut ipsemet paulò post explicat, cum ait: *Hoc itaque dico, fratres, tempus breue est; reliquum est, ut & qui habent uxores, tamquam non habentes sint, &c.* Ut ergo tempus redimamus, & breue illud incertumque spatium vitæ, quod nobis superest, saluberrimè expendamus, nobis utilissima est virginitas.

Quintò, *Solutus es ab uxore, noli quaerere uxorem, &c.*

Sextò, *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, & qui non iungit, melius facit.*

Septimò, *Beatior erit, si sic permanferit*. (nimirum libera à viro) secundum meum consilium: puto autem quòd & ego spiritum Dei habeam.

Denique probat id ipsum Apollolus hac ratione; *Mulier immupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu; quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quo modo placeat viro, &c.* vbi rationem adfert, cur virginitas matrimonio sit præstantior: nimirum quia illa liberat hominem vinculis sæculi, & præbet facultatem perfectè seruiendi & vacandi Deo; hoc verò sæculi vinculis astringit, & istam facultatem eripit.

Idem probatur Apocalypsis 14. *Nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor milia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Vbi infinuatur eximium quoddam præmium præparatum virginibus, quod aliis non dabitur. quem locum eleganter tractat Augustinus lib. de Sancta virginitate, cap. 27. 28. & 29. & Hieronymus supra.*

Secundò Probari potest ex Patribus, quorum testimonia sunt infinita, nec hæretici dissentunt. Vide Augustinum, & Hieronymum locis citatis, Cyprianum de habitu virginum, Ambrosium libro 1. de Virginibus, Basil. de vera virginitate.

Tertiò Probatum ratione. Primò, Coniugium per se non est bonum virtutis, sed natura, & in se differens, per se nulla laude dignum. Vnde Hieronymus, *Non peccat, inquit, si ducit uxorem; non tamen bene facit, si duxerit: intellige non bene facere per se loquendo, nempe si nihil aliud quam ipsum matrimonium, eiusque commoda, voluptates & sobolem spectauerit, ut passim homines solent: nam nec amor sobolis & posteritatis per se est virtutis, sed naturæ tantum affectus. vnde omnibus communis; & nemo inde præcisè laudem meretur. Idem colligitur ex lib. 3. Hypognost. vbi inter cetera, quæ de bono naturæ oriuntur, & adiphora censentur, numeratur *velle ducere uxorem*. Virginitas verò est bonum honestum, eximie virtutis obiectum, adeò ut apud omnes gentes semper in admiratione fuerit habitum, quasi humanam conditionem superans, & soli Numini dicendum, ut constat de Vestalibus Romanorum, de Bonziis Iaponensium & Sinenfium, de Monachis Turcorum.*

Secun-

Secundò, Matrimonium quoad usum & inclinationem conuenit homini secundum portionem inferiorem, qua similis est brutis: virginitas autem conuenit homini magis secundum portionem superiorem, qua similis est Angelis. Et si enim integritas incorruptionis sit in carne, inclinatio tamen ad illam & affectus non inest carni, sed spiritui; neque est naturalis, sed supernaturalis, & celestis, vt pulchrè explicat Ambrosius lib. 1. de Virginitate. Vnde similes facit Angelis, iuxta illud Domini, Matth. 22. *In resurrectione non nubent, neque nubentur, sicut Angeli Dei in celo.* Et D. Augustinus lib. de sancta Virginitate, cap. 13. *Habeant coniugia bonum suum, non quia filios procreant, sed quia honestè, quia licitè, quia pudicè, quia socialitèr procreant, & procreatos pariter, salubriter, instanter educant, quia vni fidem inuicem seruant, quia sacramentum coniugij non violant: hæc tamen omnia a humani officij sunt munera. Virginalis autem integritas, & per ipsam continentiam ab omni concubitu immunitas, angelica portio est; & in carne corruptibili, incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fecunditas carnis, omnis pudicitia coniugalis, &c.*

Est angelica portio.

Tertiò, Actus proprius & præcipuus matrimonij habet coniunctam maximam verecundiam: vnde etiam requirit secretum; nec quisquam est tam impudens, quin testes omnes, famulos, cognatos, paranyphos, etiam suos liberos, qui sunt ipsius matrimonij fructus, abesse velit, quando illi actui dat operam; vt docet D. Augustinus lib. 14. de Ciuit. cap. 18. & 20. quod est euidentis signum, in hoc opere inesse turpitudinem & dedecus; illudque minus decere hominem, quàm homo est: non enim nisi de re turpi & dedecorosa erubescimus. Ratio est, Tum quia præterquam quòd iste actus conuenit homini, qua parte similis est brutis, membra in illo non obediunt rationi: de qua inobedientia, cum sit pœna peccati, inflicta propter inobedientiam mentis erga Deum, erubescit animus; vt docet D. Augustinus dicto lib. 14. capite 17. & sequent. Quamquam non dubitauerim, etiam in statu naturæ nudæ talem verecundiam fuisse futuram. Turpe enim est animo, carnem suam regere non posse: tunc tamen non fuisset pœna peccati, sed naturæ imperfectio. Deinde quia in actu illo *parè omnis acies & quasi vigilia cogitationis obruitur*; vt Augustinus ait. Indecorum autem est menti, ita à carnis voluptate vinci, vt quasi sui compos, sui que iuris non sit.

Duplex casus auerue scandi.

107 Quartò, Matrimonium implicat hominem voluptatibus carnis, quæ maximè mentem à studio orationis & rebus spiritualibus impediunt. vt enim D. Augustinus lib. 14. de Ciuit. Dei, cap. 16. docet, illa voluptas hominem intrinsecus & extrinsecus sibi vindicat, totumque commouet, animi simul affectu cum carnis appetitu coniuncto atque permixto: vnde animus efficitur carnalis, plenus cogitationibus & affectibus carnalibus. Itaque Apostolus 1. ad Corinth. 7. monet abstinere ab usu coniugij, quando orationi vacandum. Et Hieronymus, *Oro te, inquit, quale illud bonum est, quod orare prohibet? quod corpus Christi accipi non permittit? quamdiu impleo mariti officium, non impleo Christiani, &c.*

Quintò, Implicat sollicitudinibus huius sæculi. Primò, Vt alter alteri placeat. Secundò, Vt ipsi cum familia honorare inter suos uiuant. Tertiò, Vt proles decenter educant. Quartò, Vt amplam

hereditatem illis relinquunt: quibus in rebus videmus coniuges passim adeò occupari, vt vix dimidiam horam per hebdomadam seruitio diuino impendere queant. Colligitur ex Apostolo supra. Declarat hoc diuus Basilus libro de vera Virginitate: *Que, inquit, mortali coniugio coniuncta est, ad suam ipsius curam, viri quoque altera adiecta, geminam in vna anima ex coniuncto sibi corpore sollicitudinem necessario sustinet: nec ea vnius tantum corporis causa laborat, sed in vna anima, & ad suum, & ad viri corpus curandum iugiter intenta diuiditur. Vbi verò filios post cubiculi solemniam, & secreta commercia parturire, ac in lucem edere coeperit, per unumquemque nascentem animo scinditur, & presentibus miseris, nascuntur cura semper adiucitur, &c.*

Sextò, Adfert intolerabile onus viuendi semper cum eodem coniuge, & ei in officio coniugali obsequendi. Nisi enim summa sit morum confectio, diuturna illa cohabitatio parit mutuum fastidium: & multæ intercurrunt offensiones, quæ animos diuellunt, & veluti antipathiam quandam ingenerant, vt sæpè mutuum conspectum vix ferre possint: nihilominus matrimonij nexu tamquam compedibus vinciti, non possunt se inuicem effugere, sed coguntur semper vnà manere, vnà viuere, comedere, bibere, dormire, & vel inuiti in actu coniugali sibi mutuo obsequi: vt merito dixerit Sapiens, Ecclesiastæ 7. *Inueni amariorum morte mulierem.*

Ex his discrimenibus possumus sic ratiocinari. 108 Id est melius & Deo gratius, per quod homo magis auocatur à voluptatibus carnis & carnis huius sæculi: sed virginitas est talis; ergo est præstantior & gratior Deo quàm coniugium. Secundò, Id est melius & Deo charius, quod maximè præbet facultatem orandi, & Deo seruendi: sed virginitas talem facultatem maximè præbet, & matrimonium eandem impedit, vt patet ex dictis, & docet expressè Apostolus 1. ad Corinth. 7. ergo, &c. Tertiò, Id est melius & Deo charius, per quod homo propter Deum abstinere à maximis carnis voluptatibus, & se totum Deo consecrat, quàm id per quod se totum rebus sæculi & voluptatibus immergit: atqui talis est virginitas; ergo, &c. Denique, Id est melius, quod Dominus noiter, quod Apostoli, & præcipui Sanctorum complexi sunt: sed hi complexi sunt virginitatem, vel si aliqui eorum iuncti erant matrimonio, abstinuerunt ab usu coniugij, vt Hieronymus de Apostolis ait, ergo, &c.

108 Rationes in forma.

Sed contra obiicitur Primò, Genes. 1. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Hic Dominus videtur dare præceptum coniugij, ac proinde vetare virginitatem. Confirmatur ex Apostolo 1. ad Timoth. 5. *Volo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse.*

109 Obiect. 1.

Respondeo Primò, Præcepto illo Genesios non imponi obligationem singulis, sed primò & per se ipsi multitudini, seu generi humano; vnde non tenentur singuli illud exequi, sed sufficit satis multos esse in genere humano, qui huic officio non desint, quantum nimirum opus est ad generis humani propagationem. Ita D. Thomas ar. 4. ad 1. Et sanè si hoc argumentum aliquam vim haberet, sequeretur, Christum Dominum, vtrumque sanctum Ioannem, & præcipuos Sanctorum contra præceptum diuinum fecisse.

Respon-

Resp. 2.

Est benedi-
ctio, non
præceptum.

Respondeo Secundò, Illis verbis non tam significari præceptum, quàm benedictionem, per quam tribuit eis generandi facultatem & fecunditatem; quod aperte indicant illa verba: *Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini piscibus maris, &c.* Sunt ergo verba benedicientis, fecunditatem & dominium tribuentis, non præipientis. Simili modo paulò antè benedixit piscibus & aibus, dicens: *Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris; auesque multiplicentur super terram.* vide D. Augustinum lib. 14. de Civ. Dei cap. 21. Fateor tamen, initio mundi non vi illius præcepti, sed Iure naturali, ob necessitatem propagandæ naturæ, singulos ad matrimonium contrahendum fuisse obstrictos: qua necessitate, propagato iam satis humano genere, cessante, cessavit etiam obligatio illius præcepti: sicut cessante necessitate & inopia pauperis, definit obligatio præcepti naturalis elemosinæ. *Definit*, inquam, non in actu primo; (manet enim semper habitualis obligatio pro tempore, quo posset incidere necessitas) sed in actu secundo; quia hîc & nunc non tenemur ad opus. Pari modo non tenemur hîc & nunc ad matrimonium, nisi fortè posita tali necessitate, qualis erat initio mundi, & ita post diluuium.

Ad locum Apostoli Respondeo, Illud loqui de iunioribus feminis, maximè viduis, quæ se non continebant; & patet ex illis verbis: *Nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia.* id est, ne malè viuendo & fornicando dent occasionem gentilibus malè loquendi de Christianis, & eorum religionem calumniandi. has expedit nubere, quia id melius est, quàm sub specie cælibatus malà vità religionem Christianam infamare.

110
Obiectio 2.

Obicitur Secundò, Id est melius, quod plus boni confert mundo: sed matrimonium plus boni in mundum adducit, quàm virginitas: parit enim multas proles, quæ postea piè institutæ multa ad gloriam Dei acturæ sunt, & Deum perpetuò in beatitudine laudaturæ. Confirmatur, Quia totum bonum generis humani est ex matrimonio: sublato enim matrimonij officio periret mundus, & omnia bona opera considerent.

Resp.

Respondeo, Si hoc argumentum valeret, probaret etiam, opus matrimonij omnibus aliis operibus bonis esse præferendum: quia sine illo cetera omnia conciderent: prùs enim quisque debet nasci, quod fit per vsum matrimonij, quàm possit aliquid boni operari. vnde etiam expediet ducere quàm plurimas vxores, vt plurimæ proles suscipi possint, quæ postea saluæ fiant. vide D. Augustinum de sancta virginitate cap. 9. vbi hoc argumentum soluit. Primum igitur negari potest maior in sensu ad nostrum propositum accommodato. *Melius* enim hîc vocamus, quod est magis salutare, magisque expediens homini ad salutem: quo modo non semper est melius, quod plus boni confert mundo, vt patet in cura pastoralis, in administratione regni, aliisque functionibus publicis, per quas etiam multum boni possit fieri in mundo; tamen melius & perfectius est seruire Deo in Religione. Sic qui pecunia sua emit multos seruos ethnicos vt eos faciat Christianos, non audebit pecuniam suam comparare muneri sacre virginitatis, vt Augustinus ait. Id enim melius, quod hominem magis cum Deo coniungit, eique magis gratum efficit: quale non est matrimonium, sed

An coniu-
gium plus
boni confert
mundo.

virginitas. Secundò, Negari potest minor: matrimonium enim non plus boni confert mundo, quàm virginitas, sed multò minus. matrimonium enim per se solum producit peccatores & filios iræ, virginitas autem producit eosdem in esse Christiani & filij Dei: sanctificatio enim illorum per Sacramenta, & pia institutio fit per ministros Ecclesiæ, qui virginitatem seu cælibatum colunt. Deinde plus boni est vacare Deo, eiusque obsequio totum esse addictum, quod facit virginitas, quàm vacare liberorum procreationi. minimum enim bonum diuinum maioris est momenti, quàm totum bonum creaturarum. Denique Deus, mundo iam satis repleto, non querit qui filios hominum & peccatores procreent, quorum satis magnus est numerus; sed qui illos conuertant & regenerent in filios Dei: ad quod aptissima dispositio est virginitas, non matrimonium. sicut enim matrimonium est institutum ad replendam terram, ita virginitas ad replendum cælum, vt Hieronymus ait lib. 1. contra Iouinianum, & Tertullianus lib. de monogamia.

Ad confirmationem. Bonum virtutis est ex matrimonio solum remotè, quatenus natura supponitur gratiæ. vnde non potest ex hoc colligi eius perfectio: sicut nec perfectio carnis aut sensuum exteriorum, ex eo quòd sine his concideret mundus, & non possemus mereri. Addo, virginitatem esse præferendam per se, & quamdiu non est periculum, defectu coniugij perituum mundum.

Obicitur Tertio, nihil assumendum in cultum, nisi quod Deus præcepit; iuxta illud Deuteronomij 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas:* sed Deus virginitatem non præcepit: ergo non potest assumi ad colendum, & gratum obsequium Deo exhibendum, quinimò est superstitio & idololatrya.

Resp. Maiorem esse non solum falsam, sed etiam fatuam, & omni specie veritatis destitutam; vt supra lib. 2. cap. 40. dub. 6. ostensum est.

Obicitur Quarto, Nemo potest continere, nisi habeat donum continentia; Matth. 19. *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* & Sapientia 8. *Nemo potest esse continens nisi Deus det.* sed hoc donum non omnibus datur: ergo stultè facit, qui continentia se addicit, nesciens an hoc donum habeat. stultum enim est se obstringere ad id, quod nescit an possit implere.

Respondeo Primò, Si hoc argumentum valeret, nemo etiam posset amplecti fidem Christi, nisi antè sciret se donum fidei & perseuerantiæ habere: nec quisquam posset iungi matrimonio, nisi sciret se donum continentia; coniugalis habere, quæ non minus est donum Dei, quàm continentia virginalis, iuxta illud Apostoli 1. ad Cor. 7. *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo, aliis quidem sic, aliis vero sic.*

Respondeo Secundò, Sicut auxilium amici dupliciter haberi potest, nimirum in actu primo, cum amicus est paratus ferre opem, si rogetur; & in actu secundo, cum reipla iuuat: ita donum continentia; dupliciter haberi potest; in actu primo, seu in præparatione diuina, & in actu secundo. Omnes igitur qui capiunt continere, habent donum continentia; in actu primo: Deus enim ex parte sua paratus est illos iuare, vt reipla

Obiectio 3.

Resp.

111
Obiectio 4.

Resp.

Dupliciter
haberi potest
donum
continentia.

con-

continentiam præstent; ac proinde in potestate illorum est habere donum continentie in actu secundo, si ex parte sua collaborare, & idonea remedia adhibere voluerint; vt docet D. Chrysostr. supra Homilia 63. in Mathæum, Hieronymus in cap. 19. Mathæi, Augustinus lib. 6. confessionum, cap. 11. in fine.

Remedia
contra ten-
tationes
carnis ex
parte no-
stra.

Remedia autem quæ ex parte sua adhibere debent, potissimum sunt tria; oratio, ieiunium, & feminarum deuotio. cum enim tentationes carnis oriantur vel ex suggestione diaboli, vel ex redundantia cibi & potus, vel ex feminarum aspectu & consuetudine; contra primum adhibenda oratio, (sub qua comprehendimus etiam Sacramentorum, præsertim sanctissimæ Eucharistiæ, vsum: hoc enim est frumentum electorum, & vinum germinans virgines, Zachariæ 9.) Contra secundum, ieiunium. Contra tertium, vitatio aspectus & nimia familiaritas feminarum. quibus ex parte nostra adhibitis, non decrit donum continentie in actu secundo, quo facili negotio continentiam præstemus.

DUBITATIO XVI.

Quibus modis virginitas amittatur.

112 Dico Primò, Virginitatis virtutem amitti omnibus illis modis, quibus amittitur castitas: quia re ipsa ab hac non distinguitur, sed solum ratione & connotato, vt dictum est. vnde etiam desiderijs turpibus perditur: quod confirmatur ex D. Augustino lib. 1. de Ciuit. cap. 18. vbi docet, etiam corporis sanctitatem amitti per consensum in opus turpe. Idem dicendum de morosa delectatione.

113
Virginitatis
virtus,
non status,
nudo con-
sensu amittitur.

Petes, An etiam voluntate nubendi? Respondeo, Ipsam virtutem virginitatis amitti, quia hæc in proposito abstinenti perpetuò etiam à concessa voluptate consistit. Virginitas tamen amitti vulgò non dicitur; quia manet corporis integritas, atque adeò ipse status, qui communiter nominatur virginitas.

114 Dico Secundò, Non amitti violatione carnis, si hac nullo modo est voluntaria. est communis sententia DD. quam pulchrè docet D. Augustinus supra: Quis, inquit, sana mente putauerit se perdere pudicitiam, si forte in apprehensa vel oppressa carne sua exerceatur & expleatur libido non sua? Si enim hoc modo pudicitia perit, profectò pudicitia virtus animi non erit, nec pertinebit ad ea bona, quibus rectè vivitur, sed in bonis corporis numerabitur: qualia sunt vires, pulchritudo, &c. Si autem animi bonum est, etiam oppresso corpore non amittitur. & infra: Et ideo cum eis (concupiscentiis) non cedere in concussa intentione persistit, nec de ipso corpore perit castitas, quia eo sanctè vitendi perseverat voluntas, & quantum in ipso est, etiam facultas.

Petes, An ergo talis virgo, quæ vi oppressa fuit, possit accipere velum consecrationis?

115
An possit
consecrari.

Respondeo, Si ipsa est certa, se nullo modo delectationi illi consensisse, & res est occulta, videtur posse consecrari: nam vt ait D. Thomas art. 1. ad 3. si contingat præter animi propositum aliquo casu membri integritatem corrumpi, non magis præiudicat virginitati, quam si manus vel pes corrumpatur. vnde talis potest dicere se incorruptam, nimirum corruptione voluntaria. Confirmatur ex D. Augustino supra, vbi dicit, tali virgi-

ni nihil de corporis sanctitate periisse: camq; parem facit illi, cuius integritatem obstrixit, ex iusta causa, manu velut explorans casu, dum inspicit, perdidit: atqui non est dubitandum hanc posse velari: ergo & illa poterit.

Nec obstat decretum Leonis, quod refertur capit. Illæ autem 32. q. 5. quia loquitur quando res erat notoria: tunc enim ob suspicionem consensus, & indecentiam externam non sunt velandæ. Deinde non tam videtur esse præceptum, quam consilium; sic enim ait: Illæ autem famulæ Dei, quæ integritatem pudoris oppressione barbarica perdidit, laudabiliores erunt in humilitate ac verecundia, si se incontaminatis non audeant comparare virginibus. quamuis enim omne peccatum ex voluntate nascatur, & potuerit corruptione carnis mens inuita non pollui; minus tamen hoc illis oberit, si quod potuerunt animo non amittere, se dolent vel corpore perdidisse.

Dico Tertio, Si violatio integritatis vel puritatis carnis fuit voluntaria, amittitur virginitas irreuerabiliter. est communis sententia DD. D. Thomæ ar. 3. ad 3. Caietan. ibidem. & colligitur ex D. Hieronymo, Epist. 22. quæ est ad Eustochium, de custodia virginitatis: Audenter loquar, cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam: valet quidem liberare de pena, sed non vult coronare corruptam. Idem docet D. Basilius libro de Vera virgine. Ceterum, inquit, si hoc amittas patrimonio integerrime castitatis, quamvis illa omnia facias quæ dixi, celumq; ac terras, maria & abyssos, immensumque ærem peruagata fueris, nulla omnino ratione hoc recuperare iam poteris. Quo enim pacto quod corruptum semel, incorruptum fieri? qua ratione qua cognouit virum, quasi non agnouerit, existimabitur? Et infra: Penitentia quidem peccatum relaxari certum est: verù quæ corrupta est, quasi inuoluta persisterit, redintegrari omnino non valet, dum vivit, iugebit. Ratio est, quia sicut innocentia denotat animam numquam peccato mortifero fuisse contaminatam: ita virginitas ineludit vel connotat, carnem numquam voluntariè esse violatam, aut libidine pollutam. vnde sicut vno peccato mortifero irreuerabiliter perit innocentia; ita virginitas vno actu libidinis, sicut tamen omnes virtutes, quæ cum innocentia erant, & quidquid est positivæ perfectionis, recuperari possunt; ita etiam quidquid est positivæ perfectionis in virtute virginitatis, recuperari potest: non tamen dicitur virginitas; quia hoc nomen negationem experientie voluntarie libidinis denotat. tota enim ratio cur innocentia & virginitas recuperari nequeant, est, quia negationem connotat, quæ semel ablata nequit restitui: quia ad actum præteritum, quo ablata est, tollendum, non est vlla potentia: qui enim semel ruit, fieri nequit vt numquam ruerit.

Petes, Quibus modis ita amittitur, vt non possit absolute recuperari?

Respondeo, Primò, Ex parte viri, per copulam carnalem: ex parte femine, per voluntariam claustrum virginalis violationem, siue in matrimonio, siue extra, idque siue per copulam, siue per aliam turpitudinem. Hic modus est maximè notus, adeò vt etiam vulgò sciat hanc ratione virginitatem in perpetuum amitti.

Vnde tali modo corrupta non potest vquam velari; nimirum velo consecrationis, quod ab Episcopo anno 25. ætatis accipitur: de quo est Canon Pij Papæ cap. Virgines. 15. & Gelasij cap. De-

R r r uotis.

116
Amisso
irreuerabilis.

Cur non
possit recu-
perari.

117
Quibus
modis a-
mittitur.
1. Per co-
pulam.

Talis non
potest ve-
lari.

uotis. 11. & Concilij Africani 3. c. 14. Placuit. 20. q. 1. Huius consecrationis forma habetur in Pontificali Romano pag. 186. & sequentibus. Secus de velo professionis. Nec refert etiam si res sit occulta, & passim habeatur virgo, sitque pro virgine admissa & professa; & scandalum nasceretur, si reiceretur, vt multi DD. tradunt, D. Thomas in 4. d. 14. q. 1. a. 5. & Caietanus in Summa, v. Virginum consecratio, Fumus eodem, num. 3. Siluester v. Consecratio virginum, n. 2. quia, vt iidem aiunt, in sacramentalibus Ecclesie actionibus non debet interuenire fictio, sicut nec in Sacramentis: atqui fictio esset, si ea quæ verè non est virgo, vocaretur virgo. Deinde illa consecratio est propria virginum: ergo nullo modo potest non virginibus applicari; sicut consecratio aquæ non potest applicari vino.

Addunt tamen, hoc casu; quando esset periculum scandali, posse illas benedici, omittis ijs quæ sunt de substantia consecrationis, & mutato nomine virginitatis, in nomen castitatis vel continentie.

118
Obiectio.
Si res factum ex confessione confet.

Dices, Quid si Episcopus rem norit ex sola confessione? Quid si illa cautela nihil profit ad virginis famam tuendam, & re detecta impendant grauisissima incommoda? Deinde si nomina, quæ ponuntur in forma, sic commutari possunt, cur non etiam eorum significatio absque commutatione potest extendi, vt per virginitatem etiam intelligatur virginitas putatiua; & appelletur virgo, quæ passim talis putatur & vocatur; sicut dicitur Doctor, Prætor, Comes, qui talis passim habetur, & sicut Ioseph in Scriptura vocatur pater Christi?

Respondeo, In priore casu, Episcopum, si illi persuadere non potest vt sponte abstineat, posse & debere illam more aliarum consecrare, nihil mutando vel omitendo: quia alioquin illam apud eos qui adfunt, periculo suspitionum exponeret, & secreta confessionis facto suo panderet: quod nullo casu est licitum.

Idem videri possit dicendum in secundo casu, quando scandalum impendens esset graue, & nulla alia ratio illius euitandi suppeteret, quod tamen rarum est. Hoc probari videtur ratione adducta: & confirmari potest, quia preces, & cetera quæ in consecratione virginum adhibentur, solum habent vim per modum deprecationis factæ in persona Ecclesie, concurrente ad hoc ipso ordine Episcopali; & tota significatio cærimoniarum est ex institutione Ecclesie: ergo in potestate Ecclesie est, hanc formam consecrandi, quando periculum grauisissimi incommodi ita postulat, etiam illis accommodare, quæ publicè virgines habentur: nam & hæc quoque suo modo possunt esse sponsæ Christi, & sunt omnium gratiarum, quæ ibi postulatur, capaces. Hanc sententiam tenent aliqui antiqui, vt patet ex Siluestro; & quidam recentiores.

119
2 Voluntaria pollutione amittitur.

Secundus modus est per voluntariam pollutionem, etiam si fiat absque copula. hac enim virginitatem perire absque spe recuperandi, docet diuus Thomas a. 1. ad 4. & art. 3. ad 3. Caietanus ibidem, & passim alij Doctores. Probat, quia præcipua voluptas carnalis in hac consistit, & omnes alij actus, etiam copula, & violatio claustrum, ob illius voluptatem fiunt: ergo si villo actu amittitur, maxime isto, qui est ceterorum finis. Neque ad hoc

requiritur alius actus exterior, quo hic exciteretur, vt putat Martinus, quem refutat Caietanus art. 1. in 3. quæstione: quia alioquin qui sola imaginatione huiusmodi fecidat sponte in se procuraret, etiam si millies id fecisset, esset virgo, & habiturus esset laureolam virginitatis post penitentiam: quod est absurdum, etsi enim cum mulieribus non sit coinquinatus, non minus tamen forde, imò turpius, & magis contra virtutem castitatis, vt infra cap. 3. dicemus.

Nec refert, etiam si in somno contingat, modò in vigilia procurata fuerit; vt si quis eo sine certo genere cibi vel potionis sit vsus. Secus tamè si non fuit procurata, sed præter intentionem absque culpa, saltem letali, euenerit: etiam si fortè postea placeat, quia approbatio illa superueniens, non facit actum illum præteritum esse voluntarium, vt rectè Caietanus art. 1. dub. 3.

Aduerte tamen, puellam, quæ hoc modo, vel etiam accedente contactu externo polluta fuit, si carnis integritatem retinet, posse velari; vt rectè docet Caietanus in Summa, v. Virginum consecratio, Siluester, & Fumus, supra. Ratio est, quia etsi coram Deo non sit virgo, nec habitura sit laureolam; tamen apud homines censetur virgo, omnes enim vocant virginem, quæ claustrum virginale retinet illæsum, etiam si sapius intra se spermatis effusione sit contaminata: quamuis enim non sit virgo virtute; est tamen virgo statu, vt inquit Caietanus. Vnde Ecclesia, quæ vitur nominibus vt plures, idem per nomen *virgo* & *virginitas* intelligit, quod vulgò intelligi solet: cuius signum est, quòd in Pontificali Romano, vbi de hac consecratione agitur, non dicatur roganda de aliqua contaminatione, sed *de vita, conscientia, & carnis integritate*, vt notat Caietanus. Itaque non requirit Ecclesia nisi carnis integritatem.

Tertius modus est per turpes contactus, animo libidinoso factos vel admissos; nimirum si tales sint, & eo modo fiant, vt in natura sana necessario pollutionem excitarent: quamuis fortè reipsa in hoc homine ob naturæ debilitatem, vel morbum id non faciant: id enim per accidens est. Confirmatur, quia non videtur dubium quin per sodomiam amittatur illa carnis puritas, quam postulat virginitas, etiam si fortasse non adsit pollutio; quia actus ille ob eam causam fit, & ex se est ad hoc sufficiens in tali ætate. Idem dicendum de alijs turpibus contactibus. Ita sentit Rosella v. Virginitas, citans Vlericum, & insinuat Caietanus articulo 1. versus finem, ad 5. quamuis paulò post dubitet de viro. In puero tamen, cui ratione ætatis deest potestas seminandi, sentit nullo actu turpi virginitatem ex parte corporis amitti. Contrarium fortè verius, si adsit perfectus rationis vsus. Ex his patet, quia ratione virginitas sit recuperabilis, qua non sit.

Dices, Etiam ipsa virtutis species non videtur posse recuperari: nam hæc consistit in proposito seruandæ integritatis: hoc autem propositum amissa integritate est impossibile; quia conseruari non potest quod non potest recuperari. Ob hoc argumentum Martinus etiam ipsam virtutem, qua talis est speciei, irrecuperabilem esse tradit contra D. Thomam.

Respondeo Primò, Hoc argumento solum probari, non posse hanc virtutem recuperari actibus efficacibus; non autem, non posse inefficacibus,

110
Sini somno accidat.

120
Polluta potest velari.

121
3. Per contactus impudicos.

122
Obiectio.
An virtus possit recuperari.

Resp. 1.

cibus, qui in simplici affectu & bonis desideriis consistunt: hi enim sufficiunt ad virtutem comparandam, & suo modo exercendam. sic pauper potest comparare virtutem magnificentia, etiam si illi materia ad opus externum necessaria desit.

Resp. 2.

Respondeo Secundò, Etiam posse recuperari efficacibus actibus, non quibus velit conservare integritatem; sed quibus velit in posterum absti-

nere ab omni actu, quo posset violari integritas, si esset. Virtus enim virginitatis non aliter conservat integritatem carnis, quam cauendo omnia quae illam possent laedere. quare cum eadem omnia, etiam amissa integritate, caeri possint, potest habere omnes actus quos antè habebat. Non tamen dicitur *virginitas*, quia hoc nomen connotat integritatem.

CAPVT III.

De Gula, Ebrietate, & Luxuria.

Habet Dubitationes 15.

Hæc vitia virtutibus superiore capite expositis opponuntur; gula abstinentiæ, ebrietas sobrietati, luxuria castitati.

id est, plus quam natura requirat: qui modus est frequentissimus.

DUBITATIO I.

Quid gula, & quale peccatum.

D. Thomas q. 148.

Circa ipsam *sumptionem* potest esse excessus vel ratione *modi*; vt si quis voraciter comedat, cibos non mansos deuorando, sicut canes, & leones, hoc significat *ardenter*.

Vel ratione *temporis*, debitum tempus præueniendo, vel etiam sæpius quam deceat comedendo. quod indicat *præpropere*.

Differunt autem hæc inordinationes specie, secundum D. Thomam, vnde etiam diuersæ in diuersis reperiuntur: alij enim solum peccant in pretiositate ciborum; quia nihil illis sapit, nisi peregrinum & sumptuosum: alij in qualitate, & palati teneritudine: alij in quantitate: alij in voracitate: alij in crebritate sumendi: alij in pluribus horum: alij in paucioribus. Expressit hos quinque modos D. Gregorius loco cit. his verbis: *Quinque modis nos gula vitium tenet: aliquando namque indigentia tempora præuenit: aliquando lautiores cibos querit: aliquando que sumenda sunt, accuratius preparari appetit: aliquando in ipsa quantitate sumendi, mensuram refectionis excedit: aliquando in ipso astu immensi desiderij aliquis peccat.*

3
Discrimen
illorum
modorum.

Hoc nomen dupliciter accipitur. Primò, Generaliùs, vt etiam comprehendat inordinationem, quæ contingit in potu: & hoc modo diuiditur à quibusdam in *comessationem* & *ebrietatem*, tamquam in species; quarum meminit Apostolus ad Romanos 13. *Non in comessationibus & ebrietatibus.* puto tamen, *comessationem* ibi amplius inuoluere; *noip* enim (qua voce ibi vitur Apostolus) significat lasciuam computationem cum impuro cantu, aliisque temulentis dictis & factis; vt ex scholiis Photij, Theophylacti, & alij Auctoribus Græcis constat. hoc apud Latinos vocatur *comessatio*, non tam à comedendo, quam à *καμάρειν*, quod est computationi lasciuæ deditum esse.

Comessatio.

Secundò, Strictè, vt opponitur virtuti *abstinentiæ* strictè acceptæ: & hoc modo sicut abstinentia est virtus, quæ facit nos moderatè appetere & vti cibo, & potu nos inebriante, ita *gula* est vitium in appetitione & vsu delectationis cibi & potus debitum modum, id est, præscriptum rationis, excedens.

Petes, Vtrum his modis omnes gulæ species contineantur, videntur enim esse aliqua alia: nam qui comedit carnes tempore veito, peccat peccato gulæ; similiter qui comedit ante Communionem, & tamen nullo horum modorum peccat. Idem videtur de illo, qui loco indebito, v. g. in templo, vel in foro comedit. Item qui cibis noxiis vitur. Denique qui carne humana, vel carbonibus, aliisque cibis execrandis delectatur.

4
Obiecto.
An omnes
species con
tineantur.

Hoc autem fieri potest quinque modis, vt pulchrè ostendit D. Thomas art. 4. ex D. Gregorio lib. 30. *Moralium* c. 27. qui hoc versiculo continentur, *Præpropere, laute, nimis, ardentè, studiosè.* nam excessus spectari potest vel circa ipsum cibum, qui huic homini non congruit, vel circa illius *sumptionem*. circa cibum, vel ratione *substantiæ*, vel *qualitatis*, vel *quantitatis*.

2
Quinque
modis exce
ssatur.

Ratione *substantiæ* est excessus, cum appetuntur cibi pretiosiores, quam conueniat statui; vt si Religiosus contempnis aliis cibis, nolit comedere nisi perdicis, phasianos, ficculas. hoc insinuatur per *laute*.

Ratione *qualitatis*; vt cum in condimentis & studio preparandi est excessus: vt si nolit comedere, nisi multo saccharo, vel succis variis sit conditum. hoc indicat *studiosè*.

Ratione *quantitatis*; cum nimium comeditur,

Respondeo, Illas solas esse gulæ species, quæ constituuntur per circumstantias inducentes diuersas inordinationes, oppositas virtuti abstinentiæ. tales autem videntur esse solum quinque supradictæ, quia inordinatio, quam inducunt, non repugnat propriè alteri virtuti quam abstinentiæ. Circumstantiæ verò, quæ inducunt inordinationem repugnantem alteri virtuti, non constituunt speciem gulæ, sed alterius vitij, ad quod illa inordinatio per se pertinet. v. g. ex eo quod cibus sit noxius, non constituitur species gulæ; quia nocere naturæ suæ non est cõtra virtutem abstinentiæ, sed contra charitatem sui. vnde in vsu talis cibi non est alia inordinatio propria gulæ, quam quod cibus nimis ardentè appetatur, ita vt ex eius affectu homo velit nocere valetudini. Itaque in casibus propositis non constituitur distincta species gulæ, sed inordinatio gulæ, quæ in illis reperitur, pertinet

Resp.
Quæ dicitur
propriè
vitiij alicuius
species.

rinet ad aliquem ex modis prædictis; etsi in quibusdam, alterius speciei malitia sit coniuncta.

Itaque in primo casu est species gulæ, quatenus comeditur præpropere, seu quia conueniens tempus vrendi tali cibo præuenitur. Caietanus respondens Martino refert ad primum modum, vbi cibus ratione substantiæ non congruit homini: sed hic reuera congruit ratione substantiæ, sed solum ratione temporis non congruit; sicuti cum debitu tempus præuenitur.

In secundo similiter præuenitur tempus conueniens. vel dicitur, potius esse peccatum sacrilegij quam gulæ; quia non tam peccat tunc comedendo, quam volendo post cibum communicare.

In tertio casu, cum in loco incongruo, si id fiat affectu gulæ, vt quia non potest differre donec venerit domum, reducitur ad præpropere, vel nimis ardentem. Circumstantia autem loci illius non constituit speciem propriam gulæ, quia non inducit inordinationem contra abtinentiam, sed contra religionem vel modestiam.

De quarto, cum quis cibo notabiliter noxio utitur, iam dictum est.

In quinto non tam est vitium gulæ humanum, quam feritas belluina, praua consuetudine contracta, vel affectio morbida, aut belluina naturæ constitutio. Ex his ferè soluas multas minutias, quas contra istos quinque modos obiicit Martinus.

Vtrum verò ista inordinationes sint species vltimæ, vt vult Caietanus; an alias sub se habeant, vt contendit Martinus, parui est momenti, & nihil facit ad negotium morale.

6 Quod ad alteram partem dubitationis attinet, Quale peccatum sit gula; Dicendum est esse peccatum mortiferum, si quis in illa delectatione vltimum finem constituat. Hoc autem fieri potest tripliciter. Primò, Expressè, vt cum quis expressè, seu in actu signato illam voluptatem summam esse bonum iudicat; sicut olim Epicurei. Secundò, Implicitè; cum id quidem expressè non iudicat, tamen erga illam sic afficitur, vt paratus sit propter illam omnia humana & diuina lura violare. Tales sunt multi hoc tempore hæreseos ministri, qui sanam doctrinam & Religionem propter ventrem adulterant, cauponantes verbum Dei: de qualibus dicit Apostolus ad Philipp. 3. *Quorum Deus venter est.* Tertio, Interpretatiuè; vt cum quis affectu gulæ paratus est non quidem quoduis, sed aliquod peccatum mortiferum admittere. hic enim etsi minùs perfecte & proprie ponat vltimum finem in voluptate ciborum, quam secundus, qui omnia ad illam refert; tamen aliquo modo id conuincitur facere: nam hoc ipso, quo mortiferè peccat, Deum propter voluptatem deserit, & hanc illi suo facto præponit: vnde etiam de talibus dicitur, *Quorum Deus venter est.* Sed de hoc plura 1. 2. quaest. 1. art. 5.

7 Perro tertius iste modus in multis casibus locum habet. Primò, Quando propter gulæ voluptates furatur, vel iniquos contractus facit. Secundò, Cum omittit id, ad quod ex præcepto diuino tenebatur; vt si non soluat creditoribus, vt opiparè victitet. Tertio, Quando violat ieiunia Ecclesiæ, vescendo carnibus, vel sapiùs comedendo. Quarto, Quando ex gula grauem noxam infert valetudini, id aduertens, vel saltem suspicans euenturum. Si nocumentum non sit graue, erit solum

peccatum veniale. Quintò, Si cum scandalo proximi vnde Apostolus 1. Cor. 8. *Si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, pro fratrem meum scandalizem.* Sextò, Quando probabiliter timetur aliquod peccatum mortiferum, ex quantitate vel qualitate cibi sumpti committendum: vt si experiëntiã nosse te inde ad turpia solere concitari & consentire. Si tamen omnino putares te satis firmum ad resistendum, & solius gulæ affectu vesceris, non esset mortiferum. Imò quando quis ex certo genere cibi aut potus putat se nocturnam pollutionem passurum, non peccat mortiferè, si non eo fine utatur, nec sit ei periculum consensus in delectationem, vt post Nauarum & alios docet Toletus de 7. peccatis mortalibus cap. 60. Sed de hoc infra dub. 14.

Septimò, Si quis vesceretur carnibus humanis. Verum quia hoc habet peculiarem difficultatem, instituemus de eo alteram dubitationem.

Numeratur etiam gula inter peccata capitalia, quia ex hoc vitio, tamquam radice, multa alia velut rami pullulant, quæ gulæ filiæ appellantur. Cibum enim & potus, circa quæ gula versatur, duplici ex causa trahunt affectum hominis, & maximi æstimantur. Primò, Per se; quatenus sunt media necessaria conseruandæ vitæ, quæ homini præ ceteris rebus est chara. Secundò, Ratione voluptatis, quæ quia est quedam felicitatis proprietas, etiam maxime appetitur. Hinc fit, vt horum causa homines plurima & facere & pati soleant, adeò vt totus ferè labor humanæ vitæ ad cibum & potum referatur, iuxta illud Ecclesiastæ 6. *Omnis labor hominis in ore eius.*

D. Gregorius lib. 31. quinque gulæ filias recenset; quarum ratio sic accipi potest. Gula consistit in eo, quòd immoderato vsu cibi & potus superflua delectatio quæritur. Ergo ea vitia inter filias gulæ numeranda sunt, quæ ex tali immodico vsu nascuntur. Porrò ex immodico vsu cibi & potus & superflua delectatione coniuncta, primum in intellectu nascitur *hebetudo mentis*; idque tum ratione vaporum, quibus cerebrum oppletur: tum quia affectus & imaginatio est tota in ollis & patinis, nec de aliis mentem cogitare sinit. Deinde in appetitu nascitur *ineptalæritia*, & alij motus animi, qui ad hanc referuntur. Cum enim mens hebetata non percipit altiora, & in voluptate illa magnum bonum imaginatur, exultat animus, tamquam partem quandam felicitatis in cibo & potu adeptus, & exteriùs per risum & alia signa lætitiæ se effundit. Tertio, In ore parit *stultiloquium & scurrilitatem. Stultiloquium*, quia ratio, cibi & potus suffusa vaporibus, & voluptati intenta, non considerat quid dicat, sed facillè quidquid videtur iucundum effutit. *Scurrilitatem*, quia inepta lætitia excitar ad indecora vel turpia agenda vel dicenda, risus mouendi causâ. Denique in corpore parit *immunditiam*; tum quia ex saturitate nascuntur vitia carnis; tum quia gula sæpè parit vomitus, & alias superfluum fœdas excretiones. Vide D. Thomam q. 148. art. 6. Nec obstat quòd idem art. 5. dicat ista vitia oriri ex gula secundum rationem finis, cum potius videantur nasci ex ea secundum rationem causæ efficientis: quia etiam si ista vitia per se non fiant propter gulam tamquam propter finem; ac proinde neque vt media, neque vt electiones mediorem ex ipsa sequantur; tamen eorum acceptatio & permissio, ex affectu

5 Quomodo in prædictis casibus sit species gula.

6 Quale peccatum sit gula.

Potest tripliciter finis vltimus poni in delectatione gula.

7 Varij casus in quibus gula est peccatum mortiferum.

Quomodo nascuntur secundum rationem finis.

fecta gula sequitur: nam ex affectu voluptatis gula fit, ut quis paratus sit illa vitia in se permittere, eaque acceptare, ut recte explicat Caietanus.

DUBITATIO II.

Vtrum aliquando licitum sit vesci carne humana.

Resp. & Dico Primo, Extragrauissimam necessitatem vesci carne humana, est peccatum mortiferum. Ita passim DD. qui hoc attingunt. Caiet. q. 148. a. 2. ad 2. Victoria relect. de Temperantia. n. 5. Nauar. c. 23. n. 121. Valentia disp. 9. q. 1. puncto 1. Toletus de Peccatis mortal. c. 60. & alij.

Probant id aliqui ex sententia illa Domini, Genes. 9. *Omne quod mouetur & uiuit, erit uobis in escam. Quasi olera uirentia tradidi uobis omnia, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis.* nisi enim hic prohiberetur vltus carnis humanae, id quod sequitur, non recte cohereret: *Sanguinem enim animarum uestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis: de manu uiri & fratris eius requiram animam hominis. Quicumque effuderit sanguinem humanum super terram, fundetur sanguis illius.* Ita locum illum intelligunt Lyrannus & Burgensis. Sed verius est, loco illo prohiberi non esum carnis alicuius coctae, sed etiam sanguinis, non solum humani, sed etiam pecorini, sicut prohibitum postea fuit Leuit. 7. & 17. & Actor. 15. Vnde Caietanus putat non prioribus, sed sequentibus uerbis, *sanguinem enim*, &c. vltum carnis humanae prohiberi. Et sane ex illis potest utcumque colligi: (etsi non putem, Scripturam esse spectare) si enim per se licitum esset humana carne vesci, etiam fas esset viam occidere: quidquid enim in cibum concessum est, licitum est occidere & preparare. Vnde Petro Actor. 10. dicebatur, *occide & manduca*: at nullo modo licitum occidere viuam, ergo nec mortuam comedere.

Secundo, Alimentum debet esse ignobilius alio, secundum rectum ordinem, ut ex inferiore gradu ad superiorem euehatur, plantae enim aluntur ex succo terrae, animalia ex plantis: perfectiora & robustiora animalia, ex speciebus animalium debiliorum & imperfectiorum: homo ex plantarum & animalium genere. Quod si aliquando animalia hominem deuorent, id ex peccato est: ergo similiter est contra naturae ordinem, si homo vescatur carne humana.

Tertio, Confunderetur magna ex parte distinctio corporum in resurrectione. Nam plurimae particulae quae alijs corporibus resurgentibus deberentur, miscerentur in corpore Anthropophagi. Vnde fieret ut non esset illa perfecta identitas inter corpus quod resurgit & quod concidit, quae alioquin esse deberet, cum multae particulae non possent suis corporibus restitui, sed aliunde deberent suppleri.

Quarto, Quia omnes gentes, apud quas aliquid ciuilitatis fuit, *ἀνθρωποφάγισ* rem extremam barbariae & feritatis semper censuerunt, ut colligitur ex Homero & Virgilio de Cyclopius, & Aristotele lib. 7. Ethic. cap. 5.

Denique est contra naturalem pietatem corporibus defunctorum debitam, quibus impendendum est officium sepulturae.

Sed difficultas est, Vtrum saltem in extrema necessitate id fieri possit.

Dico Secundo, Vtraque pars est probabilis: Affirmans tamen videtur omnino verior. Negantem tenet Victoria n. 6. & probat multis rationibus. Affirmans placet Caietano q. 148. art. 2. ad 2. Martini. Eandem insinuat Martinus q. 2. de gula, & Nauarrus supra. Eandem docet Abulensis in 4. Reg. c. 6. & Toletus, de Peccatis mortalib. c. 60. mihi que probatur praeter altera. Primo, Quia licitum est causa morbi uti carne humana in medicamentis, ut vltus receptus declarat in mumia, quae nihil est aliud quam caro corporis humani, cum pretiosius vnguentis sepulti: cur non etiam in extrema necessitate famis, quae morbi maxime est instar, licitum sit uti non condita?

Secundo, Licitum est haurire sanguinem humanum ex vena adolescentis detractum, causa conciliandi vigoris corpori senili, & senectutis prorogandae: vnde quidam Medici (inter quos Martinius Ficinus, li. de sanitate tuenda) hoc tamquam singulare remedium ad istum finem praescribunt; etsi forte in ratione medica decipiantur: cur non etiam ob similem causam liceret uti carne humana, si ars medica praescriberet?

Tertio, Quia caro mortua est res inferior, & licitum est eam exponere feris & auibus dilaniandam, quando viui ob crimina sunt commeriti: cur eo casu non possit homo ex ea fumere, extrema urgente fame? cessat enim hic ratio iniuriae, & aliunde succurrit extrema necessitati.

Quarto, In extrema necessitate Iudaei potuissent vesci carne immunda, v. g. suilla, equina, coruina, (ut docet Victoria supra, num. 10.) quod tamen extra illam fuisset nefas, ergo etiam hic extrema necessitas excusabit.

Dices Primo, Ergo licebit etiam hominem eo sine occidere. Secundo, Si barbari compellant, licebit vesci. Tertio, Cur in obsidione Ierosolymitana non sunt vlti, ubi erant tot corpora mortuorum? Cur tam horribile visum quod mater comederit filium? ut refert Iosephus lib. 7. de bello Iudaico cap. 8. Denique si tunc fas est uti, ergo quisque tenetur, quia tenemur omni modo vitam conseruare.

Ad Primum Respondeo, negando consequentiam, quia homo non est destinatus homini in cibum, sicut cetera animalia. Vnde etsi medicamenti causa sit opus carne vel adipe humano, non tamen idcirco licitum occidere, nisi alias sit meritis mortem, & executio debito modo fiat.

Ad Secundum: Negatur, quia illa compulsio fieret in odium nostri moris, & illius virtutis, per quam ab huiusmodi extra necessitatem abstinemus. Simili modo si cogere vesci idolothytis, non liceret obsequi.

Ad Tertium: In illa obsidione non sunt vlti nisi paucissimi; quia reputabant huiusmodi cadauera maxime immunda. Deinde quia res videtur belluina, & natura abhorret ob insolentiam, & anticipatas opiniones. Factum illius mulieris visum valde horribile, non quia cadauer hominis per se mortui comederat, sed quia oblita maternae pietatis, proprium filium, ut comederet, occiderat, & tripla iam medium deuorauerat.

Ad Vltimum: Neganda consequentia, non enim tenemur omni modo licito vitam conseruare, sed possumus illam negligere vel exponere, quando honesta ratio suppetit; ut bene docet Victoria d. relect. de Temper. n. 9. ratio est, quia boni viri conseruante.

R r r 3 tuis

9
Extra necessitatem.

11
Obsidio-
nes.

Resp.
Ad 11

Ad 2.

Ad 3.

12

Ad 4.

Non tenemur quomodo modo vlti conseruante.

10
An in extrema necessitate.

tutis est præstantius vita: unde propter illud potest vita deferri. deinde cum vita non sit ex bonis supremis, & semel necessario deferenda, non tenemur eam nisi medijs ordinarijs secundum proportionem nostræ conditionis fouere & prorogare. Explicatur & probatur exemplis. v. g. non tenemur in obsidione vesci canibus, felibus, muribus, calceorum segmentis, &c. nec tenemur pretiosissimis vt medicamentis vel cibus, ad morbi, alijs letalis, curationem. non teneor me tueri contra inuasorem, si non possum sine ipsius interitu. non teneor mutare solum patrium, etiam si Medici id dicant necessarium ad vitam conseruandam, teste Victoria supra. potest vxor ministrare marito in peste, ad coniugalem amorem demonstrandum, etiam si eius opera non sit marito necessaria.

Carthusianus an in necessitate teneatur vesci carne.

Denique potest Carthusianus, etiam in extrema necessitate abstinere a carnibus, (etsi possit iisdem etiam vesci) propter exemplum virtutis & decus abstinentiæ in suo Ordine tuendum; ne videlicet aperiat aditus dispensationibus & interpretationibus; sicque sensum relaxetur ille communis abstinentiæ rigor, vt docet Victoria, supra num. 10. Idque verum puto, etiam si illa necessitas proueniat ex fame, & nullus alius cibus suppetat. sicut enim si à morbo proueniret, non censetur à se, sed à morbo periri, vt ibidem rectè ait Victoria; ita etiam cum prouenit à fame, censetur fame vel calore interno absumi: non enim magis tenetur famem tali esca pellere, quam morbum, ceteris paribus. Confirmatur, quia vt idem docet, Iudæi, tempore Machabæorum in solitudine versantes, non tenebantur vesci cibus lege vetitis, etiam si fame alioquin fuissent morituri; tamen potuissent ijs vesci: poterant enim vesci ob necessitatem extremam, & poterant abstinere ob reuerentiam diuinæ legis: ergo idem dici poterit de Carthusiano in simili casu; maximè cum non nudo statuto humano, sed etiam voto videatur obstrictus, dum vouet obedientiam secundum statuta. Itaque ob reuerentiam statuti, quod strictissime abstinentiam præcipit, & etiam in extremis morbis in Ordine seruatur, & ob reuerentiam Dei, cui se per votum obstrinxit, & ob commune decus Religionis tuendum poterit abstinere.

Dixi obiter, Carthusianum posse vesci carnibus in extrema necessitate; siue ea necessitas proueniat ex morbo (quam quidam putant non dari, si alij cibi suppetant) siue ex aliorum ciborum inopia. Quia statutum humanum non obligat cum periculo mortis, vt communiter DD. tradunt: nisi vel necessitas boni communis postulet (quod hic non fit) vt eum præcipitur militi ne stationem deserat, ne fugam capestat: vel nisi scandalum graue impendat, cui aliter occurrere non possit; quod etiam hic locum non habet. nec refert etiam si illud statutum voto aut iuramento firmatum sit; quia periculum mortis censetur exceptum, vt patet in voto ieiunij, peregrinationis, obedientiæ, non ducendæ vxoris, &c. Si tamen expressè vouisset se nullo euentu, etiam si mors impenderet, carnes esurum, puto non posse comedere; quia votum, meo iudicio, est validum, vt ex supradictis colligitur; ac proinde seruandum in tali periculo. existimo tamen nullum huiusmodi votum in Ordine illo fieri; quia multi DD. censent inualidum & illicitum.

DUBITATIO III.

Quid ebrietas, & quale peccatum.

D. Thomas q. 150.

E Brietas dupliciter accipitur, vt notat D. Thomas art. 1. Primò, Pro defectu vsus rationis, nimio potu inducto, vnde dicitur quis ebrius & sic non est peccatum propriè, sed peccati effectus. Secundò, Pro ipsa potatione, qua hunc defectum efficit. sic est peccatum, & definiti potest hoc modo,

Ebrietas est excessus in potando, causà voluptatis, vsque ad violentiam vsus rationis priuationem, vel sic; Est violenta rationis interceptio per nimium potum, causà voluptatis assumptum.

Ebrietas pro peccato quid.

Hæc definitio habet tres partes. Prima, *Est excessus in potando*: sicut enim gula consistit in excessu in cibo & potu non inebriante; ita ebrietas in excessu vini, vel cuiusuis alterius potus inebriantis. Hinc *ebrietas*, iuxta D. Thomam, dicta est, quasi *extra briam*, quod debitam vini mensuram excedat. Vnde dum quis odore lupuli salictarij, vel suffitu tabaci, vel opio, aliisque narcoticis priuatur vsu rationis, non est ebrietas; quia hoc non fit excessu potandi.

Secundò, *Causà voluptatis*: si enim causà medicinæ, ex præscripto Medicorum, non esset ebrietas, etiam si vsque ad interceptam mentem sumeretur, vt rectè docet Caietanus art. 2. ad 3. & in Summa v. Ebrietas, Siluester v. Ieiunium, q. 3. Nauarrus c. 23. n. 119. vt si in subito pestis terrore, alijs remedijs æquè commodis non suppetentibus, magnus haustus vini generosi sumatur; vel aduersus venenum frigidum (vt opium, solanum, cicutam, hyoscyamum) aut contra cantharides magna vini copia bibenda, ex qua ratio vsus sit impediendus, præscribatur. non enim est excessus respectu talis subiecti, & ad talem finem: neque causà delectationis gustus vel tactus, palati, vel œsophagi sumitur: vnde non repugnat temperantiæ, qua circa tales delectationes versatur.

Ob eandem non peccat peccato gula, qui iudicio Medicorum varia edulia inordinate & copiose ingerit, ad vomitionem mouendam; quia neque ob delectationem id agitur, neque modus rationis respectu talis subiecti exceditur.

Tertiò, *Vsque ad violentiam*, &c. Dupliciter auferitur rationis vsus, modo naturali, & violento: naturali per somnum, spiritibus animalibus in centrum retractis, & neruis sensorijs, qui in sensuum externorum organa terminantur, vapore quodam frigido occupatis. Hic modus à natura est institutus ad spirituum, & consequenter ad virium instaurationem: nam per quietem nulla fit dissipatio, & copiosa nouorum spirituum generatio. *violente* auferitur, quando tanta vaporum copia cerebrum implet, vt etiam in vigilia, ratione vt non possit. Idem interdum accidit vel ex nimio spiritu fieriore, vt in phrenitide; vel ex humore maligno, cerebrum per adriopariam assidue occupante, vt in melancholia primaria; vel ex vapore noxio, cerebrum per interualla patente, vt in melancholia hypochondriaca.

Quod ad alteram partem attinet, dicendum est, talem ebrietatem, si voluntaria sit, esse peccatum mortiferum. Ita diuus Thomas art. 2. quem omnes alij sequuntur. Est autem voluntaria, Primò, Directè, quando quis ebrietatem intendit. Secundò, Indirectè, vt quando quidem expressè non

14 Duplex vsus rationis priuatio.

15 Est peccatum mortiferum.

non cupit inebriari, sed tantum bibit, quantum potest, non curans an sequatur ebrietas, an non. Item quando aduertit se inebriandum, si pergat potare, nihilominus non desistit.

Probat
ex Scriptu-
ris.

Nunc probatur id esse peccatum mortiferum. Primò, ex Scripturis, Prouerb. 23. *Cui uis? cuius patri uis? cui rixas? cui foveas? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in uino, & student calicibus epotandis? ubi breuiter attinguntur mala, quæ ebrietas etiam in hac vita infert. Est igitur & ipsa graue malum in moribus. Ibidem: Ne intuearis uinum quando stauerit, cum splenderit in vitro color eius: ingredieris blandè, sed in nouissimo mordebit ut coluber; & sicut regulus uenena diffundet: nimirum quia sicut illa uenena sunt corpori letifera, ita uinum in fine mortem æternam adferet animæ & corpori. Sequitur: Oculi tui uidebunt extraneas, & cor tuum loquetur peruersa. Vbi significatur, ex multo uino sequi fornicationes & adulteria, maledicta & blasphemias, &c. Ecclesiastici 19. *Vinum & mulieres apostatari faciunt sapientes, & arguent sensatos, id est, facient reprehensionem obnoxios. Et cap. 31. Vinum multum potatum, irritatione, & iram, & ruinas multas facit, uide plura ibidem. Itaq. 5. *Va qui confurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & ad potandum usque ad uesperam. & infra: *Va qui potentes estis ad bibendum uinum, & uiri fortes ad miscendam ebrietatem, quasi dicat, qui strenuè incumbitis computationibus. *va autem in Scripturis passim comminationem damnationis æternæ significat. 1. ad Cor. 6. *Nolite errare, neque fornicari, neque idolis seruire, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque furas, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. hinc ebrietatem connumerat aliis uitiis mortiferis, & pari modo à regno excludere affirmat.******

Nec obstat, quod ebriosus non ebrium, sed debitum ebrietati designet, ac proinde requirat consuetudinem: ebriosus enim dicitur non qui semel aut bis ebrius est, sed qui ebrietati est deditus: hoc, inquam, non obstat, quia Græcè est μέθυσος, quod ebrium significat, & idem ualeat μεθύων, unde sicut is, qui alia illa uitia vel semel commiserit, excludetur à regno, nisi penitentiam egerit, ita etiam qui vel semel ebrius fuerit. Ad Galat. 5. *ebrietates ponuntur inter opera carnis, quæ à regno Dei alienum reddunt.*

16
Ex Patri-
bus.

Secundò, Probat ex Patribus, D. Augustinus Serm. 231. de Tempore, sapius dicit, per ebrietatem perire animam, hominem Deo fieri inimicum, & reum in die iudicij. Similia habent alij Patres, ut S. Basilius Hom. in ebrietatem, D. Ambrosius de Elia & ieiunio cap. 14. S. Chrylost. Homil. contra luxum & crapulam: & alij. Præterea D. Augustin. Sermone illo citato sic ait: *Qui contra coalumnâ & amicam suam ebrietatem loquentibus irascuntur, libera à nobis uoce audiant, Quia quicumque ebriosus penitentiam de ipsa non egerit, sed usque ad mortem suam in ipsa ebrietate permanserit, in æternum profecto peribit; quia non mentitur Spiritus sanctus per Apostolum dicens, Neque ebriosi regnum Dei possidebunt. Deinde docet quomodo auxilium diuinum sit ebrioso implorandum, ut eripatur de luto facis, & cloaca ebrietatis, nimirum dicendo totis animæ uiribus cum Propheta, *Eripe me de luto facis, ut non inbaream: Non me demergat tempestas aqua, neque absorbeat me profundum, neque urgeat**

*saper me puteus os suum, & rationem subdens, cur ita illam uocet, addit: Ebrietas enim quasi inferni puteus, quo scumque susceperit, nisi digna subuenierit penitentia, & emendatio fuerit subsequuta, ita fortiter sibi uedicat, ut eosdè ipsos de inferni tenebroso puteo, ad charitatis uel sobrietatis lucem redire sine penitentia non permittat. Idem Serm. 232. *Qui credit ebrietatem esse paruū peccatum, si se non emendauerit, & pro ipsa ebrietate penitentia non egerit, cum adulteris & homicidis æterna illum pœna cruciabitur. idque probat ex Apostolo 1. Cor. 9. ad Ephes. 5.**

Dices, D. Augustinus Serm. 41. de Sanctis, ebrietas enumerans capitalia, non ponit ebrietatem absolute; sed cum restrictione. *Ebrietas, inquit, si assidua sit, &c. ubi uidetur insinuare, si non sit assidua, sed rara, non esse peccatum mortiferum.*

Resp. D. Augustinum solum enumerare ibi alia, qua crimina capitalia, de quibus non poterat esse controuersia apud populum: nam simili modo ponit iracundiâ; *Si longo tempore, inquit, teneatur iracundiâ; & tamen certū est, etiam breuem iracundiâ, si plenè sit uoluntaria, & graue malum imprecetur, esse crimen capitale, seu mortiferum. non certè, ut D. Thomas art. 2. ait, addit illam restrictionem, ut indicet se loqui de ebrietate plenè uoluntaria. qui enim raro inebriantur, non uidentur id uoluntariè, sed præter mentem pati, nimirum ex eo quod ignorent vim potus, uel debitam mensuram, aut non aduertant ebrietatis periculum.*

Tertiò Probatur ratione, Primò, Quia se inebrians priuat se uolentè non solum usu rationis, sed etiam potestate propinqua utendi; impedimentum & ueluti uinculum menti suæ injiciendo, ut etiam uigilans ratione uti nequeat, idq; causâ uoluptatis: unde propter uoluptatem se ad brutorum abiicit stoliditatè. hoc autem censetur maximum malum & grauis inordinatio; quia præcipuum bonum hominis, & quo à brutis distinguitur, est posse uti ratione, & sua omnia hac regula dirigere: quod ualdè ponderat D. Basilius, & alij Patres, ut infra dicemus. Confirmatur, quia si quis alteri hanc potestatem etiam ad aliquot horas eriperet, grauem inferret illi iniuriam, & peccaret mortiferè: ergo etiam qui sibi ipse illam adimit.

17
Probat
ratione.
1. Ratio.

Dices primò, Est dispar ratio, quia quisque cedere potest iure suo, & nemo sibi ipse facit iniuriam: sed non potest cedere iure alterius.

Respondeo, Etsi quisque possit cedere iure quod habet ad usum rationis hinc & nunc adhibendum; & ita possit se illo usu priuare, dormiendo, uel nolendo mentem applicare, tamen non potest cedere iure, quod habet ad potestatem utendi: huius enim non est dominus; sicut nec integritatis membrorum, aut sensuum. Unde non minus peccat dum sibi hanc potestatem eripit, quam dum alteri id facit. etsi enim non sit propriè iniuria, dum sibi hanc potestatem adimit, cum non fiat nolenti; est tamen contra charitatem, & debitum custodiendi sui, & suæ naturalis integritatis.

18
Resp.

Hinc patet responsio ad obiectionem de somno: etsi enim somnus priuat usu rationis, non tamen potestate propinqua utendi; quia relinquit organa expedita, ut statim secuta uigilia mens possit ratione uti: ebrietas uero ita ligat & obidet, ut etiam secuta uigilia, ratione uti nequeat. Accedit quod somnus est institutus in bonum naturæ, ut illa quiete vires tum sensitiuæ tum motiue reficiantur, corpus roboretur, & officijs mentis instrumentum

Alia est
ratio som-
ni.

tum debitū, id est, spiritus animalis reparatur. Vnde etiam vltus rationis in somno tollatur; tamen hoc detrimentū multis commodis compenſatur.

19 **Resp.** Dices Secundò, Suffitu peti seu tabaci tollitur violentè potestas vtendi ratione; similiter odore lupuli, si quis in eo cubet; & tamen in his non est peccatum mortiferum.

Resp. Illo suffitu non tolli potestare vtendi extra somnum, sicut per ebrietatem; sed solum in somno (qui modus est naturalis) sua facultate refrigerante & constringente inducendo soporem: est enim ex genere narcoticorū, sicut & hyoscyamus. vnde etiā suffitus ille hauriatur causā voluptatis, quam Indi dicuntur in illo sapore percipere, nō erit mortiferum. Odor lupuli turbat quidē caput, non tamen puto planè inebriare. si reuera inebriaret sicut ipse potus, putarem eodem modo vitandum, maxime quando nulla est in eo cubandi necessitas.

20 **2. Ratio.** Mala ebrietatis. 1. Exhaurit substantiam. Secundò Probat: Ebrietas multa alia grauiora mala secum trahit, ob quā meritò graue crimen censerit debeat. Primò, Facultates exhaurit, Proverb. 21. Qui amat vinum & pingua, non ditabitur. & c. 25. Noli esse in conuiujs potatorum, nec in comestationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt: quia vacantes potibus, & dantes symbola consumuntur, & vestietur pannis dormitatio. Hinc sequitur grauis familie afflictio, liberorum neglectus, creditorum fraudatio, furta, latrocinia, & c. vt quotidiana experientia docet.

2. **Eneruat & fœdat corpus.** Secundò, Corpus fœdum, imbecillum & morbidum efficit: hinc enim est oculorum lippitudo, narium coryza, oris graueolentia, anima fœtida, membra tremula. hinc capitis destillationes, tussis, fœditiq; creatus. hinc apoplexia, & paralyſis membrorum, articulares morbi. D. Chrysoſtomus Homil. contra crapulā Tomo 5. Oculi, nares, & os, coryza, mucos & putredine, & his, quæ intus generantur cœnoscis & impuris affectibus sunt plena: & ipsa carnis substantia laxior fit quā natura proportio requirit, & fœtida, ac inutilis, atque ad omne opus bonum inepta. Confirmat similitudine: Etenim & terra quarum abundantia oppressa, innatū perdit calorem, perdit & suas vires, neque ad suum opus vel procreationem est idonea. hinc & incurabilibus & difficillimis implicantur morbis, tremoribus, palloribus, podagra, chrisagra, & alijs pluribus, & c. addens, tanta esse illa mala, vt etiā si nulla esset gehenna, nullūmve aliud incommodum, merito propter illa ebrietas sit fugienda. D. Augustinus Serm. 231. Est in illis oculorū caligo, vertigo, fatigatio, & dolor capitis, suffusio vultus, membrorum omnium tremor, anima ac mentis stupor. In talibus impletur quod scriptum est: Cui va, cui tumultus, cui ira, cui rixa, cui sine causa vulnera, cui suffusio oculorum? nonne his, qui morantur in vino, & student calicibus epotandis? Similia habet D. Basilius Homil. in ebrietatem, circa medium, & S. Ambrosius de Elia & ieiunio cap. 16.

21 **3. Ad omnia reddit inutilem.** Tertiò, Reddit hominem ad bonum inutilem, nimirum non solum ad opera pietatis, sed etiam ad studia literarum, ad politica, ad mechanica; denique ad omnem vitæ vltum. Docet hoc pulcherrimè D. Augustinus supra: Quia, inquit, corpora nostra terrena sunt; quo modo pluuia nimium grandis & diuturna si fuerit, terra infunditur, & in lutū resoluitur, vt nulla in ea cultura fieri possit: sic & caro nostra quando abundantiore potu fuerit inebriata, nec spiritalem culturam accipere, nec fructus anime necessarios poterit exhibere. Vnde infert: Si velimus vt

ager corporis nostri bonos fructus proferat, non plus bibendum quam oportet. ne per nimiam, inquit, ebrietatem ipsa corporis terra velut in paludem conuersa, magis vermes & serpentes generare, quam fructus bonorum possit afferre. Deinde subdit: Omnes ebriosi sunt similes paludibus nascitur, nullū fructū habere cognoscitur, nascuntur ibi serpentes, sanguisugena; nascuntur ibi ranæ, & diuersa genera vermium, quæ magis horrorem possint generare, quam aliquid ad vltū exhibere. iste enim herba, vel arbores, quæ aut in ipsis paludibus aut circa ripas nasci solent, nihil vtilitatis habere videntur, in tantū vt annis singulis incendio concrementur. Videte, quod de ebrietate nascitur, igni preparatur. Eadem similitudinem attingit D. Chrysoſtomus loco citato. D. Basilius Homil. in ebrietatem: Periculum, o miser, est, ne pro homine cœnum lutum que sis: sic penitus vino deditus marcescis, ac quotidianam crapulam haud alter quā vasa putida oles.

Quartò, Facit hominem bestijs similem, & etiam viliorē. D. Augustinus supra: Considerent ebriosi, si non peiores animalibus iudicandi sunt. cum enim a brutis nihil amplius quā eis opus est, bibere nolunt, illi & duplū, & triplum quā eis expedit, potum accipiunt, & vnde trimum vel quatuor dierū refectioem poterant habere, vno die cum grandi peccato contendunt perdere potius quā expedire. & vinā potum rationem modo perderent, & non etiam ipsi perirent. D. Basilius sup. Quā in re, dic homo miser, a brutis differis? nonne rationis munere, quā a Deo omnium cōditore accepisti, reliqua creatura factus dominus & imperator? hoc igitur te mentis lumine per ebrietatem priuas, inter bestias ratione carentes numerari poteris, & illis similis videri. Hæc sanè est præcipua iniuria, quam ebrietas per se & proximè dignitati naturæ rationalis, qua parte est imago Dei, infert; ob quam maxime diximus esse peccatum mortiferum. Addit S. Basilius: Imò & bestijs loge peiores existimauerim eos, qui ab ebrietate superantur, scum illa cœcundi stant, & horas horis verò nullius temporis & hora rationem habentes, nequissimis complexibus & amoribus inter se vtuntur. Idem ostendit ex vltu sensuum: Nec solum eo peiores brutis, quod mente insani, sed etiam quod sensibus longe infrā illas desicere videantur. An non vmbra sapenumero tamquā fossas, vel loca præcipua trāsiliunt: aures terrifico sonitu, tamquam fluctuatis maris refertas habent; terra interdum insurgere & in rectum crigi, montes vero circumagi videntur, & c. His somni sui graues, ac reuera morti vicini: vigilia verò somnis stupidores. In somnium quoddam est vita ipsorum, & c. D. Chrysoſt. Hom. 5. in Matth. Quanto melior asinus ebrioso est, quanto canis prestantior: omnes certe animantes, que rationis expertes sunt, cum bibunt aut comedunt, vltra quam satis, etiā si mille homines cogerent, nūquam elabuntur peiores igitur irrationabilibus vos estis qui inebriamini, quod fufius deinde prosequitur.

Quintò, Secreta prodit. Proverb. 31. Nullum secretum ubi regnat ebrietas. Huius rei multa extant pandit. historiarū. hinc Horatius:

Reges dicuntur magnis urgere culullis, Et torquere mero, quos perspexisse laborant. D. Ambrosius de Elia & ieiunio c. 17. Plerique etiam vino vtuntur vt equuleo; & quibus tormeta non eliciunt vocem proditiōnis, eos tentant bibendo; vt parvie statum, salutem cursum, defensionis suæ prodant cõsilia, quis inter cyathos textit quod latere cupiebat?

Sextò, Ad mores absurdos & grauiora crimina excitat.

21 **3. Ad omnia reddit inutilem.** Simile ab ægris.

Sunt similes paludibus nascitur, nullū fructū habere cognoscitur, nascuntur ibi serpentes, sanguisugena; nascuntur ibi ranæ, & diuersa genera vermium, quæ magis horrorem possint generare, quam aliquid ad vltū exhibere. iste enim herba, vel arbores, quæ aut in ipsis paludibus aut circa ripas nasci solent, nihil vtilitatis habere videntur, in tantū vt annis singulis incendio concrementur.

22

si non peiores animalibus iudicandi sunt. cum enim a brutis nihil amplius quā eis opus est, bibere nolunt, illi & duplū, & triplum quā eis expedit, potum accipiunt, & vnde trimum vel quatuor dierū refectioem poterant habere, vno die cum grandi peccato contendunt perdere potius quā expedire. & vinā potum rationem modo perderent, & non etiam ipsi perirent. D. Basilius sup. Quā in re, dic homo miser, a brutis differis? nonne rationis munere, quā a Deo omnium cōditore accepisti, reliqua creatura factus dominus & imperator? hoc igitur te mentis lumine per ebrietatem priuas, inter bestias ratione carentes numerari poteris, & illis similis videri. Hæc sanè est præcipua iniuria, quam ebrietas per se & proximè dignitati naturæ rationalis, qua parte est imago Dei, infert; ob quam maxime diximus esse peccatum mortiferum. Addit S. Basilius: Imò & bestijs loge peiores existimauerim eos, qui ab ebrietate superantur, scum illa cœcundi stant, & horas horis verò nullius temporis & hora rationem habentes, nequissimis complexibus & amoribus inter se vtuntur. Idem ostendit ex vltu sensuum: Nec solum eo peiores brutis, quod mente insani, sed etiam quod sensibus longe infrā illas desicere videantur. An non vmbra sapenumero tamquā fossas, vel loca præcipua trāsiliunt: aures terrifico sonitu, tamquam fluctuatis maris refertas habent; terra interdum insurgere & in rectum crigi, montes vero circumagi videntur, & c. His somni sui graues, ac reuera morti vicini: vigilia verò somnis stupidores. In somnium quoddam est vita ipsorum, & c. D. Chrysoſt. Hom. 5. in Matth. Quanto melior asinus ebrioso est, quanto canis prestantior: omnes certe animantes, que rationis expertes sunt, cum bibunt aut comedunt, vltra quam satis, etiā si mille homines cogerent, nūquam elabuntur peiores igitur irrationabilibus vos estis qui inebriamini, quod fufius deinde prosequitur.

23

Secreta prodit. Proverb. 31. Nullum secretum ubi regnat ebrietas. Huius rei multa extant pandit. historiarū. hinc Horatius: Reges dicuntur magnis urgere culullis, Et torquere mero, quos perspexisse laborant. D. Ambrosius de Elia & ieiunio c. 17. Plerique etiam vino vtuntur vt equuleo; & quibus tormeta non eliciunt vocem proditiōnis, eos tentant bibendo; vt parvie statum, salutem cursum, defensionis suæ prodant cõsilia, quis inter cyathos textit quod latere cupiebat? Sextò, Ad mores absurdos & grauiora crimina excitat.

6. Est causa
multorum
crimini.

6. Est causa multorum criminum. citat. hoc exprimit ex parte diuiti Basilius supra. D. Hieronymus in cap. 1. Epist. ad Titum, explicans illud, Non vinolentum, Longum est ire per singula, & infanias, quas ebrietas suggerit, explicare. Videas alios pocula in tela verrentes, scyphum in faciem iacere conuina: alios scissis vestibus in vulnera aliena prornere, alios clamare, alios dormire. qui plus biberit, fortior computatur: accusationis occasio est, adiuratum per Regem, frequētius non bibisse. uolunt ut bibant, bibunt ut uomant. digestio ventris & guttur uno occupantur officio. Deinde addit: Hoc nunc dixisse sufficiat, quod secundum Apostolum, in vino luxuria est, & ubicumq; saturitas atque ebrietas fuerint, ibi libido dominetur. Specta ventrem & genitalia; pro qualitate vitiorum, ordo membrorum. numquam ego ebrium castum putabo. Nota grauissima verba tanti Doctoris. D. Ambrosius de Elia & ieiunio cap. 16. Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incentiuum infania, ebrietas venenum in spiciētia: hac sensus hominum mutat & format; per hanc sunt ex hominibus equi adhinētes, siquidem naturali vapore corporis calidi, & prater naturā, vini calore flammam cohibere se non queunt, & in bestiales libidines excitantur: & cetera, quae elegantissimē persequitur. Similia habes cap. 12. & apud D. Chrysolomum Homil. 58. in Math. sub finem. S. Basilius Homil. in ebrietatem: Ebrietas demon est voluntarius, ex voluptate animabus nostris indatus. Ebrietas malitia mater est, virtutis inimica, fortem virum reddit ignauium, ex temperato lasciuum, iustitiam ignorat, prudentiam extinguit, &c.

Pugna ex
ebrietate.

Feditas
ebrioforū.

Ebriosus
numquam
castus.

Libidines.

7. Difficil-
limē cura-
tur.

Septimo, Difficillimē curatur: ratio est, quia vinum corporis habitum immutat, hepar accendit, fauces exsiccat, & siticulosos reddit, quo fit, ut sitis bibendo augeatur, faucibus magis & magis arefcentibus. D. Basilius: Denique huius mali finis est nullus: ipsum namque merum inexplebilem continuo sitim addit; nec necessarium querit usum, sed ad alium irrefragabiliter potum inuitat, cum ardentibus ebrios & semper bibendi cupidiores reddit. Diuus Ambrosius c. 14. Merito Deus per Moysen non solum veneno, sed etiam draconum veneno vinum comparauit, dicens: Furor draconum vinum eorum, & ira aspidum insanabilis: & pulchre additur, insanabilis: multi enim reliquorum serpentum veneno curantur, nemo ebrietate.

Vbi Aduerte, locum illum Deuterom. 32. possum ab Ambrosio iuxta editionem 70. Nostra lectio sic habet, Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.

Quomodo autem his curatio adhiberi possit, docet pulchrē diuus Augustinus Serm. 231. Qui se de hoc malo desiderat liberare, quo modo sibi interuallo dierum potum addendo, ad ebrietatis tenebras peruenit; ita paulatim subrahendo ad sobrietatis lucem redeat, qui si simul totum, quod amplius accipiebat, subtraxerit, ubi nimia sitis caperit exarde scere, cum grandi amaritudine clamet & dicat, malle se mori, quam sibi bibendi & inebriandi consuetudinem tollere: nec attendit quod tolerabilis erat illi carne mori, quam in anima per ebrietatem interfici. Et ideo ut nec ardorem nimium patiatur, & de tam graui malo liberetur, per interualla dierum, sicut diximus, aliquid de nimietate potus subrahatur, quousque ad rationabilem bibendi consuetudinem redeat.

Hac paulo fufius ex Patribus dixerim, propter fœdam huius æui apud multas gentes sefe in-

briandi consuetudinem. plura licet videre apud citatos, maximē Ambrosium & Basilius.

Petes Primò, Vtrum ea, quae homines in ebrietate committunt, sint peccata, ita ut imputentur ad culpam.

Respondeo, Vel ebrietas est voluntaria, seu culpabilis, vel non est voluntaria. Rursus, vel malum inde secutum poterat prauideri, vel non poterat. Si non est vllò modo voluntaria, ita ut sit prorofus inculpa, quidquid ex ea secutum fuerit, etiam culpa vacat; non minus quam id quod committitur ab amente. ratio est, quia nullo modo est liberum: nec enim per se liberum est; nam cum agitur, deest vsus rationis. nec etiam in causa; quia supponimus causam non esse voluntariam. talis erat nuditas Noë, ex ebrietate inculpatā consecuta: ignorabat enim vini efficacitatem, vt Patres docent. Ita communiter D. Thomas quest. 150. art. 4. Caetanus ibidem, D. Bonauentura in 2. d. 22. artic. 2. q. 3. ad vltimum, & alij.

Si verò ebrietas sit aliquo modo culpabilis, & malum prauideri poterat, (vt si aliàs erat expertus, in simili dispositione tale quid a se commissum; vel si dubitans non adhibuit sibi custodem, vel aliam cautionem) etiam ipsum ad culpam imputabitur. Et quidem si solum venialiter peccauit se inebriando, malum inde secutum solum erit veniale. Si verò mortaliter, mortale. Ratio est, quia illud malum (v. g. homicidium in ebrietate commissum) non est in seipso voluntarium seu liberum, cum ab eo patretur, qui iam vsu rationis caret, sicuti quod fit a dormiente: sed solum est voluntarium in causa, quae est ebrietas: ergo non potest maiorem contrahere culpam, quam ipsa causa hic & nunc habeat, atque adeò quam voluntas illa, a qua ebrietas illa dicitur voluntaria: ergo si hæc voluntas solum est venialis, illud malum, etiam si fortè sit homicidium, non imputabitur nisi ad culpam venialem. Confirmatur, quia tota culpa est in illa voluntate: & solum per denominationem extrinsecam tribuitur ebrietati & effectui secuto: nam ebrietas, & opus secutum solum imputatur ad culpam, quatenus ab illa voluntate pendet. Vnde euidentis est, non posse esse maiorem culpam in opere secuto, quam in voluntate illa praua ebrietati. Vnde patet, fieri non posse, vt ebrietas sit peccatum veniale; & opus ex ea secutum imputetur vt mortiferum.

Fieri tamen potest vt ebrietas sit mortifera, & malum ex ea secutum, etiam aliàs per se grauissimum, non imputetur ad culpam, vel saltem non nisi ad venialem, ad nullam culpam, si malum nulla ratione prauideri poterat: quod enim nullo modo est cognitum, nullo modo censetur volitum, aut voluntarium; vt si nihil ei occurrit quod excitaret dubitationem vel timorem talis mali euenturi: quod facile accidit ei, qui nihil tale est antea expertus: vel si occurrit, humano modo sufficientem cautionem adhibuit: quo modo incestus Loth videtur fuisse inculpatus, etsi fortè ebrietas eius excusari non possit. Vnde D. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 44. dicit: Inebriauerunt eum, & se nescienti miscuerunt: quapropter culpandus est quidem, non quantum ille incestus, sed quantum illa merebatur ebrietas. Idem docet S. Chrysolomus Homil. 44. in Genesim.

Ad venialem imputabitur, si aliquo modo prauideri poterat, (vt si aliqua leuis de eo dubitatio

inceffit

25
An com-
missa in
ebrietate
sint peccata.

Si nullo
modo vo-
luntaria.

26
Si sit ali-
quo modo
voluntaria.

Si ebrietas
sit venia-
lis, effectus
non potest
nisi venia-
lis conseri.

27
Si malum
non poterat
prauideri,
non imputatur.

28

Si prauisum imperfecit, erit veniale.

incessit animum) & per venialem negligentiam maior consideratio fuit prætermiffa. Ratio est, quia etfi tenebatur ebrietatem sub peccato mortifero vitare, ob intrinsecam ipsius malitiam, eius periculo satis animaduerso; non tamen pari obligatione tenebatur illam vitare ob malum, v. g. homicidij; eò quòd non satis eius periculum aduertit, sed solum leuiter, & in eo neglectu non peccauerit nisi venialiter, vt suppono. Confirmatur, quia in homicidio casuali potest esse peccatum veniale, ob defectum considerationis necessariae ad culpam letalem: atqui tale homicidium est casuale respectu illius hominis & voluntatis præcedentis, ergo, &c.

Si perfectè animaduersum.

Quando autem perfectè quis aduertit periculum mali; si hoc malum graue sit, tenetur sub peccato mortali vitare periculum. Vnde si hoc etiam per se sit peccatum mortiferum, sicut est ebrietas; in voluntate illa præuia, qua periculum accipit, vel non vitat, erit duplex malitia mortalis; altera quatenus terminatur expressè vel implicite ad ebrietatem: altera vt respicit malum inde securum: quarum alteram habet ab ebrietate, vt per se spectatur; alteram ab eadem vt est causa continens periculum alterius mali.

29
An rationis defectus & mala secuta sint peccata.

Vtrum autem ebrietas, vt rationis defectum denotat, & mala secuta, dicenda sint peccata, potius ad modum loquendi, quam ad rem ipsam pertinet; quia constat, totam malitiam moralem & culpam esse in voluntate, quæ ebrietatem antecessit. Si tamen propriè loqui velimus, potius dicenda sunt effectus peccatorum, quam formaliter peccata. Ratio est, quia non dependent à voluntate vt actiones liberae; sed vt effectus consequentes, qui positâ semel causâ, non sunt amplius in nostra potestate. Posito enim potu largiore vini, eoque in stomachum infuso, non est in nostra potestate vt non sequatur mentis defectus: & posito tali defectu, non sunt in nostra potestate opera quæ inde sequuntur: atqui de ratione peccati est esse liberum & in nostra potestate. Confirmatur, quia aliter actiones externæ peccatorum dependent à voluntate libera, aliter hæc opera, illæ enim ita dependent, vt omni momento sit in nostra potestate eas inchoare, vel non inchoare, & inchoatas abrumperè, vel continuare. Vnde ipsæ per se sunt propriè voluntariæ, laudabiles, vel vituperabiles, peccata, vel merita: quia secundum se assidue à voluntate pendent, & conseruantur; & consequenter ab ea informantur, & veluti animantur ad vnum perfectum opus morale constituendum. Hæc verò non sic, sed remotè solum à voluntate libera pendent, nimirum quatenus liberè facta est applicatio causæ: qua posita, necessariò sunt secutura, nec amplius est in potestate nostra ea inchoare vel differre. Vnde per se non sunt peccata, sed solum vt considerantur in libera applicatione causæ inebriantis, in qua dicuntur voluntaria.

Quatuor actus considerandi.

Quod vt melius intelligatur, notandi sunt in proposito quatuor actus. Primus est, Voluntas illa, qua quis expressè vel implicite vult se inebriare; etiam si videat periculum ex ebrietate impendere. Secundus, Actus potandi. Tertius est, Operatio vini, qua tollitur vsus rationis. Quartus est, Homicidium ex ebrietate commissum. Primus est fons totius mali, & in eo residet tota culpa. Secundus est actio libera, assidue pendens ex illa voluntate: vnde cum illa constituit integrum & comple-

tum opus morale. Tertius est effectus secundi, qui posito secundo naturaliter & necessariò sequitur. Quartus sequitur ex tertio. Itaque cum tertius & quartus per se non pendeant à voluntate libera, sed solum ratione secundi; non sunt etiâ per se peccata, sed solum vt continentur in secundo, vt in causa.

Idem dicendum de omissione, quando ex aliqua causa libera sequitur necessariò, ita vt non maneat amplius libera: vt cum ex ebrietate omittitur Sacrum, vel lectio precum: vel abiectio sponte Breuiario lectio facta est impossibilis. Verum de his fufius agendum 1. 2. q. 20.

Petes Secundò, Quibus signis cognosci poterit an quis fuerit ebrius?

Respondeo Primò, Quando quis postridie non meminit quid dixerit, egerit; quomodo domum venerit, aut cubitum concesserit, à quo deductus, vel adiutus, aliàs autem id probè meminisse solet; magnum signum habet hesterne ebrietatis. Ratio est, quia dum quis ratione vitur, reflectit mentem super suos actus, & ita retinet gestorum memoriam. Vnde si non retinuit memoriam, non videtur rationis compos fuisse.

Secundò, Si commisit quæ numquam integre mente solet: vt si locutus aut fecit turpia & abturdia, cum aliàs sit castus & prudens: si iurauit, blasphemauit, vxorem & familiam turbauit, cum aliàs sit modestus & benignus: indicia enim hæc sunt rationem & prudentiam fuisse consopitam, & hos insolitos motus, ex vino perturbata imaginatione processisse.

Tertiò, Qui nouit discernere inter bonum & malum, licitum & illicitum, vitare mala, ac eligere bona, non videtur esse ebrius; etiam si non possit rectè incidere, & omnes domus ei verti videantur: talis enim discretio non potest cum defectu rationis consistere. Pari modo si adhuc solita officia possit vtrunquæ exequi, etfi cum vertigine & difficultate. Vide Caietanum v. Ebrietas, & alios Summistas.

DUBITATIO IV.

Vtrum sit peccatum, prouocare ad aequales calices, & an fas respondere.

Respondeo & Dico Primò, Prouocationem illam sonare per se quid alienum à ratione, & in moribus turpe: nam regula bibendi statuitur, non ratio, non necessitas naturæ, non bona valetudo, non animi vigor, aut sensuum alacritas; sed venter alterius, vel tota ventris, viscerum, & venarum capacitas. *verres vellelagenas* (vt eos vocat diuus Basiliius) rectius hos dixeris, aut certè *tubos*, vel potius *cloacas*, quam homines; solum ad hoc idoneos, vt plurimum vini tamquam lagenæ capiant, vel per corpus tamquam per tubum aut cloacam transfundant & perdant. Et mirum non simili modo institui certamina comedendi, dormiendi, & aliorum naturæ officiorum.

Dico Secundò, Prouocationem illam esse peccatum mortiferum, si eam facias animo te vel alterum inebriandi, vel si adertas aut faciliè aduertere possis inde in te vel altero ebrietatem secururam; etiam si non eo animo facias: nisi forte causa aliqua iusta excuset. sequitur ex dictis dubit. 3. si enim inebriare seipsum directa vel indirecta voluntate, est peccatum mortiferum, etiam inebriare alte-

Signa priuiana ebrietatis.

Est contra rationem.

Est peccatum mortiferum.

alterum. & quia plerumque ubi tales provocatio- nes & certamina potandi fiunt, sequitur ebrietas, & alia peccata non leuia, ideo quassimè hæc consue- rudo à sanctis Patribus reprehenditur.

D. Basilius Homil. in ebrietatem: Deinde pota- tione procedente eò veniunt, ut de agenda hac insa- nia certent, & de ebrietate per ambitionem contem- dant: cuius auctorem legis, diabolus habent, victo- ria verò premium, peccatum. nam qui plus hauserit meris, pra ceteris laudatur, is victoriã refert: atque ita gloriam in ignominia captant. Inter se namque contendunt, & velut in Iudicio aliquo desensant. Quisnam sermo, eorum quæ hic sunt turpitudinem unquam satis explicet? &c.

D. Ambrosius de Elia & ieiunio c. 13. eadem elegantissimè prosequitur, & morem nostri sæculi ad amussim describit in conuiuiorum apparatu, ministrorum obsequijs, vasorum ordine & ostenta- tione, certamine potandi, & alijs insanjs. *Primo*, inquit, minoribus poculis velut velitari pugna precluditur. Verùm hac non sobrietatis est species, sed disciplina bibendi, ut irriterentur, &c. ergo ubi recalere ceperint, possunt maioribus poculis, feruor inardescit. Et infra: Deinde procedente potu longius, contentiones diuerse, & magna certamina, quis bibendo præcellat, nota grauis, si quis se excuset, si quis temperandũ forte vinum patet, & hæc donec ad mensas perueniatur secundas. At ubi consummata fuerint epule, putes iam esse surgendum: tunc de inte- gro potum instaurat suum, & cum consummauerint, tunc inchoare se dicunt: tunc deferuntur phiala, tunc maximi crateres, quasi instrumenta bellorum. ac ne immoderatum hoc arbitreris, mensura proponitur, certatur sub Indice, sub lege decernitur. agonothe- res illic furor est, stipendium debilitas, victoria præ- mium culpa. pendet anceps diu & dubius belli euen- tus, &c. Idem cap. 14. Nec vos excusamini, qui vo- catis ut amicos, & emititis ut inimicos, quanto me- lius in terram tua vina sudisses? quid te delectant damna sine gratia? rogas ad incunditatem, cogis ad mortem; inuitas ad prandium, efferre vis ad sepul- chrum, cibos promittis, tormenta irrogas; vina præ- tendis, venena suffundis, &c.

D. Augustinus Serm. 231. Maiora pocula pro- uidentur, certa bibendi lege contenditur; qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine. Et infra adfert illorum excusationem: Sed illi, qui tales esse volunt, miserabiliter se excusare conantur dicentes: Ingratum habeo amicum meum, si quoties illum ad conuiuium vocaui, potum ei quantum voluerit, non dedit, quam sic refutat: Et nõ sit tibi amicus, qui te Deo vult facere inimicũ, qui & tuus & suus est ini- micus, si & te & alium inebriaueris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum; & ideo sapienter considera, Si iustum sit ut te à Deo separet, dum te ebrioso coniungis; cum extremũ, tu eum noli adiura- re, noli cogere; sed in potestate illius dimitte, ut quan- tũ sibi placuerit, bibat, & si sic se inebriare voluerit, vel solus pereat, & non ambo pereatis. O infelicitas generis humani! &c. Et in fine sermonis: Ergo, fra- tres charissimi, dum hac sugero, me absoluo apud Deum. Quicumque me audire cõtempserit, & ad bi- bendum pronus fuerit, vel in conuiuium suo alios adiu- rare vel cogere voluerit, & pro se & pro illis in die Iudicij reus erit. Et quia, quod peius est, aliqui etiam Clerici, qui hoc deberent prohibere, cogunt alios bibere plus quàm expedit; amodo incipiant & seipos corri- gere, & alios castigare, ut cum ante Christi tribunal

venerint, nec de sua, nec de aliorum ebrietate incur- rant supplicium. Idem Serm. 232. Solent ebriosi ita se excusare, ut dicant: Persona potens me coegit ut amplius bibam, & in conuiuium Regis non potui aliud facere. Ad excusandas excusationes in peccatis ista pretendimus, & quod implere nolumus, non potuisse nos dicimus. nolle in culpa est nostra, & non posse pre- tenditur. Etiam si ad hoc veniretur, Aut bibas, aut morieris, melius erat ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur, &c.

Petes, Quid si grande aliquod malum impen- dens non possit alia ratione impediri, nisi inebria- do auctorem qui illud machinatur, vtrum tunc li- citum sit illum inebriare? v. g. aliqui meditantur proditorem oppidi in certam horam, vel impe- dient ne oppidum, quod est in rebellium hæreti- corum potestate, suo Principi, condicito tempore tradatur; nec suppetit mihi vlla facultas id auer- tendi, nisi eos laute excipiendo & fopiendo per- porum. Item, captus à volonibus deducor ad ta- bernam, & spes est euadendi, si eos inebriauero.

Respondeo & dico Tertio, Hoc casu videri lici- tum prouocare ad æquales haustus, & alterum in- ebriare, hoc est potu consopire: deo que in secun- da assertionem dixi, Nisi iusta causa excuset. Proba- tur, quia licitum est suadere & inducere ad minus malum ut impediatur maius, ut communiter Do- ctiores tradunt: atque hic nihil aliud fit, ergo, &c.

Dices, Tunc solum fas est suadere minus, quando hoc fit ut mens alterius auocetur ab eo quod est maius; illa enim est bona commutatio: hic verò non auocatur.

Respondeo, Non solum id esse licitum ad mu- tandam ipsius mentem; sed etiam ad impediend- um maius malum, quamuis mens eius non sit mutanda: volenti enim occidere Petrum, possum suadere ut primũ spoliaret eius domum, vel abigat pecora, ut interea illum subducam; si copia libe- randi aliter non datur. Et paranti prodere urbem, possum suadere ut expilet ærarium, ut interim proditio impediatur. Et captus à latronibus potest eis suadere ut alium quemdam insequantur, (quem certò scit euasurum ratione celeritatis, vel ob insidias eo loco positas) ut ipse interim possit fu- gere, vel ut illi incidentes in occultatos capiantur. Sic Iudas fratribus occidere Ioseph volentibus au- ctor fuit ut demitterent in cisternam veterem, ibi- que fame emori finerent, Gen. 37. Vbi non mi- nus, sed æquale peccatum suasisit; ut etiam si in il- la voluntate mortis per famem inferendæ persta- rent, effectum tamen ipse impediret. Denique quando non potest quis in seipso impedire quin faciat id quod per se est peccatum, licitum ei am- plecti id, quod re prudenter pensã videtur mi- nus; ut colligitur ex c. Dominus. 2. de secundis nuptijs. & cap. Inquisitionis. 44. de sententia ex- comm. Ergo quando non potest impedire in alte- ro, quin è duobus peccatis alterum committat, po- test illi suadere quod est minus.

Nec refert, quod minus malum in illo casu vi- deatur absolute suaderi, cum solum comparatiuè id facere liceat; v. g. fac hoc potius quàm illud: quia non est opus id exprimere, quando nihil ad malum impediendum proficeret; vtrum vides pla- nè obfirmatum: sed sufficit ut mens tua sit, illud minus obijcere velut illecebram, ut dum circa illud occupatur, possit impediri maius. Itaque non suades illud eo animo ut absolute faciat, sed ut po- tius

Excusatio quorumdam.

33 Virum ad graue ma- lum impe- diendum, possit quis alterum inebriare.

34 Obiectio.

Resp.

Certamina potatorum.

Reicitur excusatio.

Excusatio quorumdam.

Reicitur.

Esse pecca- tum mor- tis.

tius faciat, quam illud maius; quamvis ob iustas causas id non exprimas. Et sanè si possum ei dicere, Fac hoc potius quam illud, & ut faciat, rogare; cur non possum, non expressa comparatione tali, rogare ut hoc, quod minus est, faciat, ut interea impediam maius, quando video non posse à proposito abduci? Sic medici in morbis quibusdam desperatis, ut mortem auertant, venena quaedam minorem noxam inferentia adhibent.

35 Dices, Non sunt facienda mala ut eueniant bona: ergo neque ut vitentur mala.

Respondeo, Nemini quidem fas esse ut ipse malum faciat, ut aliud malum à se vel alio faciendum impediatur: potest tamen alteri suadere minus malum, ut impediatur in illo maius, quod alia ratione impedire nequit: illa enim suasio mala non est, sed bona; quia non tendit ad hoc ut minus malum fiat absolute, sed ut preferatur malo maiori; licet id non semper exprimat: imò si quis bene aduertat, talis suasio solùm permissiue ad illius consensum in minus malum se habet: vitur enim suasio ut propositione obiectioni, ut alter à maiore malo abducatur; non intendens ut consentiat in minus, sed id permittens, ut relinquat maius. unde etiam minus dissuadet & impedit, si possit absque maiori vel pari incommodo. vide supra lib. 2. c. 13. dub. 3.

Iuxta hæc excusari poterit quidam, qui ante aliquot annos captus à volonibus hæreticis, & ductus ad tabernam, cepit strenuè cum illis potare, ut eos inebriaret, & se fugâ proriperet: quod ita est consecutum.

36 *Verum ali-
quando
licet se
inebriare.* Sed hinc alia dubitatio nascitur, Vtrum causâ vitæ saluandæ possit quis seipsum inebriare, vel potando, se periculo ebrietatis exponere, ut in casu proposito, vel cum quis cogitur ab altero. quibusdam enim locis dicuntur esse adeo barbari, ut nisi æquali cyatho respondeas, prouocent ad duellum, vel inuadant gladio.

Videtur sanè id non esse licitum; nam ob nul- lam causam fas est facere peccatum: atqui se inebriare peccatum est; & quidem mortiferum, ut dictum est. Confirmatur ex D. Augustino Sermo- ne 232. *Etiamsi, inquit, ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, Aut bibas aut morieris, melius erat ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur.* vbi aperte dicit hoc non esse licitum, & indicat esse peccatum mortiferum. Idem docet Caietanus art. 2. in Responf. ad 3.

37 Contrarium tamen videtur verius, loquendo de ebrietate ut solùm dicit priuationem vltus rationis ex potu, quæ per se non est peccatum. Ita mecum tenent multi viri docti in hac Vniuersitate consulti. Probatum Primò, Quia id licitum est causa medicinæ (ut supra ex Caietano & alijs ostensum est) ad pellendum vel arcendum morbum: cur non etiam ad vitandam mortem ab alio intentatam?

Respondet Caietanus, Quia non est medium per se ordinatū ad hoc, sicut ad illud: unde ibi ille potus non censetur immoderatus; hic verò censetur. Sed hoc non satisficit: nam licitum est ad vitandam mortem multa facere, quæ per se ad hoc non sunt ordinata, sed solùm ex malitiâ alterius. Sic supra l. 2. c. 9. dub. 14. ostensum est, probabile esse licere sibi amputare manum vel digitum, iubente tyranno, ad mortem redimendam; & tamen hoc nullo modo per se est ad istud idoneum, & ex-

tra illud periculum, est etiam graue peccatum. Secundo, Ob similem causam possum ieiunare plus quam valetudo ferat, aut ratio virtutis abtinentiæ extra illum casum: cur non similiter amplius comedere & bibere? Tertio, Possum velci fungis aut alijs rebus noxijs, bibere copiam vini eliquari, etiam cum periculo febris, possum haurire medicamentum valetudini noxium, & similia; quæ tamen extra illam necessitatem nullo modo essent licita. sicut ergo ista non sunt contra virtutem, quando sunt necessaria ad mortem vitandam; ita nec immoderatus potus contra virtutem erit: quia cum omnibus illis circumstantijs, in ordine ad salutem corporis reuera immoderatus non est. sicut enim licitum est lædere sanitatem, & corporis integritatem ad vitandam mortem ex alterius malignitate impendentem; ita etiam licitum est lædere rationis vsum ad breue tempus, ob eandem causam. etsi enim dominium istorum non habeat; tamen habet custodiam in ordine ad bonum totius; ac proinde potest de illis disponere prout necessarium ad salutem totius. denique priuatio rationis hic non est intenta, sed solùm permilla; quam non tenetur cum tanto suo malo impedire.

Ad rationem contrariæ sententiæ Respondeo, In eo casu non esse peccatum, saltem mortiferum, sicut nec quando sit causa medicina. 38
Ad ratio-
nem con-
trariæ sen-
tentia.

Ad testimonium D. Augustini Respondeo, Illud esse intelligendum quando quis cogit bibere in contemptum virtutis, ut sobrietatem & modestiam suggillet: non autem cum id solū facit quod putet se contemni, aut sibi fieri iniuriam, nisi tantumdem bibatur quantum ipse propinauit: vel certe quando is, qui initio coactus bibit, postea causâ delectationis sponte pergit in potando, ut sæpe fieri solet: vel quando facili potest se subducere ut ad ebrietatem non perueniat. talis enim si inebrietur, non potest excusari.

DUBITATIO V.

Quid luxuria, & quale peccatum.

D. Thomas, quest. 159.

39 *Luxuria
dupliciter
accipitur.* **L**uxuria vel luxuries à *luxu* dicitur, & ab Auctoribus æquè generatim accipitur: quo modo significat omnem excessum non solū in re venerea, sed etiam in vestitu, epulis, vnctionibus, & similibus delicijs. Græci *aisōriav* vocant.

Strictè autem pro excessu in re venerea accipitur: nam luxuriosus dicitur, teste diuo Thoma, quasi luxatus & solutus in voluptates: maxime autem animum hominis dissoluunt voluptates venerea. Hoc modo passim vsurpatur à Theologis, & opponitur castitati, & vocatur ab Apostolo ad Galatas 5. *aisōriav*, quod intemperantiam libidinis significat.

Potèrò hoc vitium genere suo est peccatum mortiferum, & præterea vitium capitale. Esse peccatum mortiferum, colligitur ex Apostolo ad Gal. 5. vbi *luxuria* ponitur inter opera carnis, de quibus ibidem affirmat Apostolus, quod qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Et probatur ratione: Vltus rei venerea ex natura sua est opus necessarium ad naturam propagandam & perennandam, sicut vltus ciborum ad conseruandum indiuiduum. nam vt inquit D. Augustinus de bono coniugali c. 6. *Quod est cibum ad salutem hominis,*

nis, hoc in concubitu ad salutem generis: ergo hic vltus censetur res grauis & magni momenti in rebus humanis: ergo inordinatio in hoc vltu, est in re graui, ac proinde ex genere suo est mortifera. Confirmatur; Quod enim bonum est excellentius, quod ex opere prouenit, eò maioris momenti censetur illud opus; & maius peccatum & grauior error, qui in opere committitur: atqui propagatio naturæ & conseruatio generis est bonum excellentius quàm conseruatio indiuidui: ergo inordinatio, quæ committitur circa opus illud, est grauior, quàm quæ circa cibum & potum. Sed de hoc plura infra, cum de speciebus agetur.

41
Est vitium capitale.

Esse autem luxuriam vitium capitale, docet diuus Gregorius lib. 3. 1. Moral. cap. 31. & ratio est, quia ex hac, tamquam ex fonte, plura alia vitia manant: nam ex affectu delectationis venereæ homo multa alia peccata facit; vel certè finit se in illa incidere, vt rectè hic explicat Caietanus a. 4. non enim est necesse vt omnes filix alicuius vitij capitalis orientur ex affectu illius, sicut electiones mediorum ex affectu finis, vt obijcit Martinus; quia quædam vitia non sunt media ad consequendam v. g. delectationem luxuriæ, vel gulæ, quæ tamen ponuntur illarum filix: sed sufficit vt homo ex affectu illius paratus sit alia vitia incurere. Si tamen mentem B. Gregorij spectemus, non est opus filias vitiorum capitalium restringere ad modum nascendi secundum rationem finis. nam quædam multò euidentius nascuntur secundum rationem causæ efficientis, aut dispositiue; vt cæcitas mentis, & similia, ex luxuria: mentis hebetudo & scurrilitas, &c. ex gula. Sed hæc res est parui momenti.

42
Filia luxuria octo.

Ratio eorum.

Numerantur filix luxuriæ octo à D. Gregorio supra, quarum rationem reddit eleganter D. Thomas art. 5. nimirum, *cæcitas mentis, precipitatio, inconsideratio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus presentis sæculi, & horror futuri.* Ratio horum sic accipi potest: Quatuor priora pertinent ad intellectum: quatuor posteriora ad voluntatem. In intellectu enim sunt quatuor operationes. Prima est, Simplicis consideratio; v. g. boni spiritualis, per quam homo dicitur bene apprehendere & intelligere quàm bonum sit rectè viuere, seruire Deo, relinquere sæculum, & similia. Secunda est, Bona consultatio de medijs ad hoc exequendum. Tertia, Examen & iudicium de modis & medijs occurrentibus. Quarta, Imperium, quo ratio dat operam vt mandentur executioni. Hæc quatuor functiones turbantur & impediuntur per luxuriam; tum quia voluptas illa est vehementissima, & consequenter impedit considerationem & attentionem circa spiritualia, vt pote totam animam & omnes eius vires ad se violentè rapiens: tum quia est infima, & secundum infimum sensum, & communis cum brutis; vnde etiam mentem maximè deprimit, & in brutalem indolem format, peruersâ phantasiâ, & affectu hominis. Et quidem vt mentem reddit ineptam ad considerationem rerum spiritualium, earumque dignitatem apprehendendam, generat *cacitatem mentis*: vt ad consultandum de medijs, *precipitationem*; immerfus enim rebus carnalibus, ineptus redditur ad consultandum non solum de modo rectè viuendi, sed etiam de alijs rebus: & ita præcipitanter omnia agit. Vt autem reddit ineptum ad rectè iudicandum de medijs salutis, eaque expendenda, *inconfi-*

derationem. Vt verò mollem & debilem ad exequenda bona proposita, ob speciem quamdam difficultatis, *inconstantiam*. etsi enim sæpè aliquid boni proponant, tamen quando animus imperare debet executionem, statim retrocedunt, asperitatis specie terri; vt pulchrè D. Augustinus sui exemplo ostendit lib. 8. Confess. cap. 5. & 11.

Hinc patet, hoc vitio maximè eueri *prudentiam*: nam actus suprascripti ad prudentiam pertinent, & totam eius vim & functionem comprehendunt. quod confirmatur ex Aristotele libro 7. Ethic. cap. 11. *Prudens indolentiam persequitur, non voluptatem. Deinde prudentiam impediunt voluptates, eoque magis, quò quisque magis delectatur: qualis est ea, quæ ex rebus venereis percipitur: in hac enim neminem posse quid intelligere.* Hinc patet, quàm perniciosum sit hoc vitium omnibus, qui prudentia vel sapientia ceteris antecellere debent; vt sunt Prælati, Principes, Gubernatores, Iudices, Consiliarij, Doctores, Parochi, & similes.

Luxuria totam prudentiam euerit.

In voluntate sunt operationes duæ, Intentio finis, & Electio mediorum. Intentionem peruertit hoc vitium, voluntatem trahendo ad delectationes carnis, & sic ingenerando *amorem sui*: quod intellige, non tantum quia homo hoc ipso, quo appetit voluptates venereas, inordinatè se amat; sed etiam quia ita sensum æstimat carnem suam, eiusque voluptates, vt in eis finem vltimum collocet, omnes suas cogitationes & curas ad eas consequendas referendo. Hinc mox sequitur *odium Dei*, qui voluptates illas grauiter prohibet, & punit. Electionem peruertit, ingenerando *amorem huius sæculi*, id est, vitæ presentis, & rerum hanc vitam oblectantium, quo ita istis inhaerent, vt hic perpetuò manere exoptent. vnde statim nascitur *horror & desperatio futuri.* Horror quidem, quia norunt se ibi his voluptatibus priuandos, & earum loco pœnas grauissimas subituros. Hinc nemo magis horret mortem, quàm homines voluptuarij; iuxta illud Ecclesiastici 41. *O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis: vno quieto, & cuius via directè sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum.*

Desperatio, quia vinculis concupiscentiæ constructi, desperant se posse eripere, & salutem consequi.

Præter has luxuriæ filias, quæ internæ sunt, ponuntur ab Isidoro quatuor externæ, *turpiloquia, scurrilia, ludicra, stultiloquia.*

Turpiloquia, quia ex abundantia cordis os loquitur, vt Dominus ait Matth. 12. cor autem hominis luxuriosi (id est, cogitatio & affectus) turpitudine plenum est.

Scurrilia, sunt verba aut facta parum honesta, aliàs indifferentibus quæ ad iocos pertinent, impensius delectantur. vnde videmus quosdam libidini addictos ex varijs libris colligere turpes, scurriles, & ludicras narrationes & facta, vt ea in promptu habeant, cum in consortio sunt aliorum.

Stultiloquium sequitur ex cæcitate mentis, mens enim libidine cæca, multa stulta, seu ratione ca-

Sff rentia

rentia effluit. Vide diuum Thomam art. 5. ad 4. & D. Hieronymum in c. 5. ad Ephesios, vbi explicat quid sit stultiloquium, & securitas.

DVBITATIO VI.

Quæ sint luxuriæ species.

D. Thom. quest. 154. art. 1.

⁴⁵ *Species luxuria.* **D**iuus Thomas ex Gratiano 36. q. 1. cap. Lex illa, sex species luxuriæ assignat; *fornicationem, adulterium, incestum, stuprum, raptum, & vitium contra naturam*, cuius numeri ratio vt intelligatur, Notandum est, principalem actum venereum, ad quem reliqui referuntur, esse spermatisin, seu seminacionem: in quo dupliciter potest committi inordinatio. Primò, Quoad substantiam illius actus; vt cum non fit in organo naturali, vel cum persona legitima. Secundò, Quoad modum, vel alias circumstantias; vt cum inter coniuges in eo tantum peccatur, quòd debitus modus in congressu, aut debita moderatio, vel congruum tempus, aut locus non seruetur, &c. Luxuria generatim vtramque inordinationem complectitur; sed hic accipitur, & assignatur ei species vt dicit inordinationem quoad substantiam actus: hæc enim absolute vocatur luxuria, estque peccatum secundum speciem suam letale. Inordinatio quoad modum, per se est solum luxuria secundum quid, & peccatum veniale in ratione luxuriæ; quamuis ratione sacrilegij annexi, vel scandali, vel prauis affectibus possit esse mortifera; vt bene ostendit Caietanus in art. primum. Hinc soluas plurima, quæ hic obijcit Martinus.

Ratio istarum specierum. Ratio autem harum specierum sic accipi potest: vel enim est inordinatio circa actum principalem, quòd ita fiat vt non possit sequi generatio, & sic est peccatum *contra naturam*: aut quia ita fit vt non possit sequi commoda institutio & promotio prolis vsque ad statum perfectum; & ita est *simplex fornicatio*, quæ est soluti cum soluta: aut quia fit cum persona incongrua: idque quadrupliciter, Primò, Quia nimium propinqua; & ita est *incestum*. Secundo, Quia alteri iuncta; & sic est *adulterium*. Tertio, Quia sub potestate parentis; & ita est *stuprum*. Quarto, Quia non consentit; & sic est *raptus*. Simili ferè modo D. Thomas artic. 1.

Vtrum tamen stuprum sit species distincta à simplici fornicatione, quando puella consentit, dictum est supra cap. 10. dub. 1.

Sacrilegium concubitum refert diuus Thomas ad adulterium; quia personæ sacræ concubio quodam spiritali Deo sunt coniunctæ.

Inordinatio, quæ in tactibus & oculis impuris fita est, & *impudicitia* dici solet, refertur ad illam speciem, ad quam disponit; vt si fiat cum alterius coniuge, refertur ad adulterium; si cum consanguinea, ad incestum.

An sit alia species ratione distantia. Dices, Sicuti propinquitas facit vt persona sit incongrua, ita etiam nimia distantia; vt si discrepet religione, maius enim peccatum est habere commercium cum Iudæa, quàm cum meretrice Christiana: ergo est statuenda aliqua species ratione discrepantiæ, sicut ratione propinquitatis.

Resp. Hoc peccatum pertinere ad sacrilegium: quia illa coniunctio est prohibita in honorem Christianissimi ab Ecclesia. Simili modo, quando

ex aliqua alia causa est inhabilitas seu impedimentum dirimens constitutum ratione peculiaris inordinationis, quæ reperitur in copula, ad aliquam ex prædictis speciebus reducitur, v. g. si est inhabilitas ratione publicæ honestatis, ad incestum; ob speciem quamdam affinitatis: si ratione cognationis spiritalis, ad incestum, vel ad sacrilegium: si ratione cognationis legalis, quæ ex adoptione, ad incestum: si ratione impotentia, ad peccatum contra naturam. Vbi autem inhabilitas illa non est inducta ob peculiarem inordinationem in copula, sed ob aliam causam, v. g. ob crimen, ignorantiam, metum; est simplex fornicatio: vt cum est impedimentum criminis, vel metus, vel erroris personæ, aut conditionis seruilis, vel raptus. Circa prædicta

Notandum ex Caiet. art. 1. *adulterium, incestum, raptum, stuprum, & sacrilegium* non esse propriè & metaphysicè species luxuriæ, sed solum morali & vulgata ratione loquendi, qua minùs communia species dicuntur, etiam si solum per accidens communem aliquam rationem contrahant. Nam deformitas, quam addit circumstantia illa personæ vel loci luxuriam contrahens, non est contra castitatem, sed contra aliam virtutem: in *adulterio, rapto, & stupro*, contra iustitiam: in *sacrilegio*, contra Religionem: in *incestu*, contra pietatem, quæ parentibus & sanguine iunctis debitam reuerentiam deseruit. Fieri autem nequit vt circumstantia vel deformitas, quæ est contra aliud genus virtutis, ita contrahat malitiam luxuriæ, vt simul cum ea propriè dictam speciem constituat. vna enim species non potest esse in diuersis generibus: nec vnum genus potest contrahi per differentiam alterius generis. itaque circumstantia propriam luxuriæ speciem constituens debet addere deformitatem, quæ solum fit contra castitatem; qualis est circumstantia vasis indebiti, & personarum debito vinculo non connexarum. Hinc infert Caietan. huiusmodi actus propriè esse sub duplici genere: adulterium enim ratione iniuriæ, quæ fit coniugi, esse speciem iniustitiæ: ratione carentiæ vinculi coniugalis inter personas, esse speciem luxuriæ. idem dicendum in ceteris. Dicuntur tamen species luxuriæ potius quàm iniustitiæ, vel sacrilegij ob duas causas. Prior est, quam adfert D. Thomas, quia luxuria magis est formalis, cum se habeat in illis peccatis per modum finis: iniustitia verò & sacrilegium magis se habet materialiter & per accidens: adulterium enim committitur non vt fiat iniuria, sed propter voluptatem carnalem: similiter sacrilegium, & alia species. Quòd si quis adulterium committeret eo fine vt contumeliam inferat marito; vel sacrilegium concubitum, vt iniuriam Deo vel rebus sacræ, &c. tunc potius dicerentur species iniustitiæ, vel irreligiositatis, quàm luxuriæ: quia finis non esset luxuria, sed iniuria & violatio rei sacræ: luxuriæ autem peccatum se haberet instar medij. Altera causa est, quia illa peccata committuntur in materia luxuriæ, & per actum eius, & ita potius dicuntur species luxuriæ, quàm iniustitiæ, &c. luxuria enim magis ibi elucet. In raptu tamen res paulò aliter se habet; nam iniuria præcedit, & luxuria sequitur.

Ex dictis sequitur, malitiam luxuriæ in prædictis speciebus naturalibus, quæ aliis virtutibus in opponuntur, si præcisè consideretur qua castitati repugnat, esse eiusdem rationis, & pertinere ad for-

Malitia specierum luxuriæ in naturalibus.

diuersam grauitatem fortiaur, vt ex D. Thoma art. 1. colligitur. nam quò quis plura vel grauiora peccata in se admittit paratus est affectu veneræ voluptatis, eò affectus ille est peior. nam in illo tanquam in causa continentur. vnde infert, illas circumstantias, et si sint contra alias virtutes, non tamen omnino per accidens se ad luxuriam habere. vide Caietanum.

DVBITATIO VII.

Vtrum fornicatio sit peccatum mortiferum.

47 Quidam hæretici docuerunt fornicationem non esse peccatum. Ita Nicolaitæ, & mulier illa, quæ se Propheten dicebat temporibus Apostolorum: de quibus Apocalyp. 2. & Gnostici, qui etiam alias impuritates admittent; vnde dicti Borboritæ; de quibus Epiphanius hæresi 26. Et Græci schismatici, teste Guidone in Catalogo. Denique nostri temporis Anabaptiste, qui non solum fornicationem, sed etiam promiscuum concubitum, spiritu inligante, permittunt, & patrant.

Fornicationem esse peccatum mortiferum.

Sed fide tenendum est, esse peccatum mortiferum. Probatur Primò ex Scripturis: 1. ad Corinth. 6. *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare; neque fornicari, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, &c. regnum Dei possidebunt.* Ad Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Ad Ephes. 5. *Hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruus, non habet hereditatem in regno Christi & Dei. nemo vos seducat inanibus verbis, &c.*

Idem docent omnes Patres, & DD. Scholastici.

Nec obstat, quòd aliqui Iurisperiti concubinatum dicant esse *conium legitimum*: ita Bartolus in L. penult. 7. de concubinis, & quidam alij; quia solum volunt dicere, legibus permitti, & non puniri: vt enim in d. L. penult. dicitur, *quia concubinatus per leges nomen assumpsit, extra legis poenam est.* vnde melius diceret esse lege permissum, quàm legitimum; vt notat Cou. de sponsalibus, p. 1. c. 4. n. 8.

48 Sicut vni gignendi, ita etiam matrimonium à Deo.

Vt autem ratione probetur, Notandum est, sicut Deus instituit id quod erat necessarium ad prolem concipiendam & pariendam, nimirum vim generandi & organa opportuna, ita etiam instituit id quod erat necessarium ad prolem rectè educandam, & promouendam ad perfectum statum hominis. nam finis generationis humanæ est proles perfecta: hoc autem est vinculum insolubile maris & feminae, posito mutuo consensu, quod matrimonium vocamus: sine enim tali vinculo, humano more fieri non poterat vt proles rectè educaretur; cum ad hoc non solum materna, sed etiam paterna cura sit necessaria. vnde etiam in aliis animantibus, vbi vtriusque parentis cura ad sobolis educationem requiritur, (vt in feris quibusdam, & in auium genere) videmus quamdam matrimonij speciem in maris & feminae societate, nec eas vti vago concubitu. Et sanè nisi hunc instinctum & inclinationem accepissent, non fuisset illis in necessariis ad speciem propagandam & conseruandam satis prospectum: nam ferè semper soboles moreretur, cum mater illi educandæ & fouendæ sola non sufficiat. Simili

modo, nisi in genere humano esset illud vinculum, proles rarò benè posset educari, & ad statum hominis perfectum adduci, nam cura paterna plerumque abesseret; vt experientia docet.

His positis, sic possumus ratiocinari: In fornicatione prætermittitur illa conditio, quam natura 49 *Probatur ratione.* lex in generatione humana ad eius finem, qui est bona prolis institutio, obtinendum requirit; ac proinde ipsa repugnat illi fini: atqui hæc inordinatio est grauis & in re graui: ergo est peccatum mortiferum.

Nec refert quòd incommodo prolis educandæ 50 *Extrinseca provisio non sufficit.* alia ratione possit occurrere; vt si cum certa pensione constituitur vir probus, qui curam prolis suscipiat; tum quia in paucioribus id locum habet, nimirum in diuitibus: & ita his solis, non autem pauperibus licita, vel non mortifera erit fornicatio; & quò quis erit ditior, eò cum pluribus fornicari poterit; quæ sunt absurda. tum quia id non tollit inordinationem quam actus per se habet, quatenus in eo prætermittitur illa conditio personarum, quam ipsa natura instituit, & requirit in illo actu ad prolis suscipiendæ perfectionem. Confirmatur, quia sicuti esset grauis inordinatio in natura rerum, si animantes, quæ habent instinctum vt certis vtantur coniugiis, inciperent vago modo coniungi: ita etiam censenda est grauis inordinatio, si homines vago concubitu vtantur. sicut enim natura humana est sublimior quàm brutorum, & eius conueniens propagatio, institutio, & perfectio est maximi momenti: ita etiam vinculum coniugij est sublimius, & magis necessarium ad actum generationis; ac proinde maior erit peruersio recti ordinis, si ille actus sine eo fiat.

Hinc sequitur, fornicationem Iure naturæ non solum esse malam; sed etiam esse graue malum, & consequenter peccatum mortiferum: quia caret conuenienti ordine & habitudine, quam natura requirit ad prolis educationem & perfectionem; quæ habitudo est magni momenti, sicut & prolis bona instructio.

Durandus in 4. dist. 33. q. 2. n. 10. fatetur, fornicationem Iure naturæ esse quidem malam & inordinatam; non tamen esse malum, quòd sit peccatum mortiferum; sed hoc habere à lege positua Dei. Ratio ipsius est, *Nam fornicatio simplex non meretur mortem æternam secundum legem naturalem; quia lex naturalis nihil dicit, nec nominat aliquid de morte æterna: & ideo quòd fornicatio simplex sit peccatum mortale, hoc procedit ex Iure diuino pluribus locis expresso.* Eiusdem sententiæ est Martinus à Magistris apud Caietan. art. 2. licet non ob rationem Durandi; sed quia quando educationi prolis aliunde prospicitur, non videtur grauis inordinatio. Confirmatur, quia neque est contra dilectionem Dei, neque proximi, neque sui ipsius.

Sed satis ostensum est hanc inordinationem 51 *Refutatur.* esse grauem, cum sit omisio debiti ordinis, quæ Iure & instituto naturæ est necessaria in illo actu ad prolis complementum. Et sanè si leuis esset Iure naturæ, Ius diuinum superueniens non efficeret grauem, sed relinqueret eam in suo gradu. nam Deus prohibens aliquid Iure naturæ illicitum, non facit illud peius, sed eius malitiam inculcat, & expressius proponit: non enim idèd malum est quia prohibetur; sed quia malum, idèd prohibetur; vt patet in mendacio, verbo otioso, & similibus, quæ ex genere suo leuia sunt.

Solutur
ratio Du-
randi.

Ratio autem Durandi nullius est momenti: ex ea enim sequeretur, nec homicidium, nec adulterium, nec Sodomiam fore peccata mortifera, nisi Iure diuino positio essent prohibita. Imò seposito Iure positio nullum esse peccatum mortale: quod omnino absurdum est.

Nec est necesse ut ratione naturali non constet tale peccatum mereri mortem aeternam; sufficit ut illa dicat esse graue peccatum, & Deo grauius displicere. inde enim ratione naturali est conijcere, graues pœnas, & quæ offensionem tantæ maiestatis respondeant, mereri.

Ad confirmationem: Reducitur ad ea peccata, quæ sunt contra charitatē proximi; cum sit contra bonum prolis nascituræ, ut inquit D. Thom. art. 4.

Nec refert, quod illi qui conueniunt, fortè sint steriles, idque sciunt: quia actus ex se talis est ut careat ordine debito, quem natura propter bonum prolis requirit, siue reip̄a sit secutura proles siue non.

51 Dices, Melius est proli sic esse, quàm non esse: atqui in potestate parentum erat ut non esset, abstinento ab illo actu: ergo non videntur ei nocuisse. Deinde possunt impedire ne id nocumentum reip̄a sequatur; sicut non magnam inferit iniuriam, qui accendit domum, sed statim cauet ne comburatur, incendio extincto.

Respons. Respondeo, Etti melius sit proli sic esse quàm non esse; tamen si parentes velint dare operam generationi, debent id ita facere, ut opus habeat conuenientem ordinem non solum ad prolem suscipiendam, sed etiam ad educandam & instruendam: vnde si careat illo ordine, priuant quantum est ex vi actus prolem hoc bono: nam hoc ex tali actu non est natum sequi, sed contrarium.

Nec obstat quod illud nocumentum possit aliquando impediri; quia id per accidens est; nec impedit quin illi quantum est ex vi operis censentur proli nocuisse, prætermittendo in eo illam conditionem, quam propter bonum prolis tenebantur adhibere. quando enim aliquid ob certum finem est absolute præceptum, qui illud omittit, facit contra illum finem, etiam si alia ratione illum procurare nitatur. Alia argumenta obijcit Martinus, quæ vide apud Caiet. art. 3.

52 Dices Secundo, Dominus Oseæ 1. præcipit Propheta his verbis: *Sume tibi uxorem fornicationis, & fac filios fornicationum*: ergo non est semper illicita.

Respons. Respondeo Primò, inde ut summum sequi, diuina dispensatione posse fieri licitam; ut inquit D. Thomas art. 2. ad 2. Secundo, & melius, Ibi solum præcipi ut sumat meretricem, seu mulierem, quæ valde dedita fuerat fornicationi, in uxorem; (id enim Hebraismo illo significatur) & ex ea procreet filios, qui suis nominibus & ordine nascendi representantur sunt filios Israël, (qui erant verè filij fornicationum, per assiduum & multiplicem idololatriam fornicantes à Deo) & vltionem diuinam illis impendentem. vnde hic non agitur de actu carnali fornicationis permittendo.

53 Porro præter ea quæ diximus, quatuor hic sunt Notanda: Primò, Fornicationem in Christianis habere peculiarem deformitatem, ratione Baptismi & Confirmationis, quibus corpora nostra facta sunt membra Christi, & in templum Spiritui sancto consecrata. Vnde Apostolus 1. ad Cor. 6. *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi, faciatis membra me-*

Fornicatio
Christia-
norum est
gravior
quàm eth-
nicorum.

reticis? abist, &c. & infra: *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? empi enim estis pretio magno. vbi tribus argumentis deterrere à fornicatione. Ex quibus colligitur, in hoc actu, dum à Christianis fit, esse peculiarem ingratitude & irreuerentiam in Deum; & consequenter speciem quamdam sacrilegij (latius accepto hoc nomine) vnde est multò grauius peccatum in illis quàm in ethnicis.*

Secundo, Fornicationem non esse grauius peccatum, quàm cetera, quæ sunt contra Deum vel proximum, ut rectè ostendit D. Thomas art. 3. grauitas enim peccati per se spectatur ex magnitudine boni, cui ipsi opponitur: maius autem est bonum diuinum quàm humanum. vnde peccata, quibus bonum diuinum contemnitur, ut ea quæ repugnant directè virtutibus Theologicis, vel religioni, sunt deteriora secundum suam speciem, quàm fornicatio, quæ bono humano repugnat. Rursus inter ea quæ bonum humanum violant, peiora sunt quæ tendunt in nocumentum vitæ hominis, quàm quæ in damnatum fortunatum; & quæ contra vitam hominis nati, quàm quæ contra vitam nascituri. vnde infert D. Thomas: Cum fornicatio ex se tendat ad læsionem vitæ, & quidem certæ prolis, nimirum quæ ex hoc actu nasci potest, est deterior furto, quo solum fortunæ læduntur: minor tamen est homicidij, quia per hoc læditur vita hominis iam nati, per illam nascituri. Hæc tamen comparatio furij & fornicationis non parum habet difficultatis. Primò, Quia furtum est contra iustitiam, fornicatio solum contra castitatem: atqui peccatum est eò grauius, quò præstantiori virtuti opponitur, ut constat ex 1. 2. q. 7. 2. art. 4. Secundo, Per furtum læditur homo iam existens in te actu possessa; per fornicationem nemo propriè læditur: nam proles non est, & nihil ei detrahatur, imò melius est ei sic esse quàm non esse. Solum in eo peccatur, quod actus ille careat conuenienti ordine ad prolis futuræ educationem, cuius ordinis carentia est contra castitatem, non contra iustitiam: quod signum est non esse propriè læsionem. Ob hæc & alia argumenta Martinus apud Caietanum tenet contrarium: cuius sententia est etiam valde probabilis.

Nec obstat quod fornicatio in Christianis præ se ferat speciem sacrilegij; quia simile quid etiam in reliquis illorum peccatis inuenitur, etiam si spiritualia sint: sicut enim membra nostra sunt membra Christi, & templum Spiritus sancti; ita etiam spiritus noster est vnus cum Christo; (*qui enim adhæret Deo, vnus spiritus est*, 1. ad Corinth. 6.) & est templum Spiritus sancti.

Tertio, Etti fornicatio non sit ex maximis peccatis mortalibus, tamen quadam ratione posse dici maximum; quia hominem maximè detinet, & difficillimè superatur; idque propter concupiscentiam homini congenitam, cuius motus sunt maximè importuni. Vnde D. Isidorus lib. 2. de Summo bono c. 39. dicit: *Magis per carnis luxuriam humanum genus subduitur diabolo, quam per aliquod aliud peccatum*. Et D. Augustinus, de honestate mulierum cap. 2. *Inter omnia Christianorum certamina, sola dura sunt prælia castitatis, ubi quotidiana pugna, & rara victoria*. vnde præcipua industria in eo collocanda ut hoc vitium superetur.

Quarto, Eum, qui versatur in ipso actu huius flagitij,

54
An sit gra-
uius pecca-
tum ceteris
contra pro-
ximum.

55
Quomodo
censetur
ex maxi-
mis pecca-
tis.

Retractio. flagitij, tenere se retrahere ante spermatifimum, etiam si complex iam feminarit; imò etiam si ex vi prioris commotionis, post retractionem esset futura feminatio extra vas. Ratio est, quia omni momento tenetur opus prauum abrumper. Nec refert quòd inde sequatur aliud incommodum, quod sit contra naturam generationis: quia illud per accidens & præter intentionem obuenit. nullo enim modo erat intentà effusio illa extra vas, sed solum abruptio operis mali, ex qua illud præter intentionem sequitur: Simili modo tenetur abstinere à copula, etiam si dum se ad illam præparauit, ita esset concitatus, vt nisi pergat, sit futura effusio extra. Confir. quia ante spermatifimum actus est solum inchoatus & imperfectus in genere luxuria: ergo voluntariè continuando committit nouam culpam: nam finis & consummatio operis illius est in seminatione. quod confir. quia iniuria prolis est in seminatione: ex hac enim sequuntur incommoda supradicta. Aliqui tamen in supradicto casu contrarium tenent; quia retrahere se est contra naturam generationis, quorum sententiam esse probabilem affirmat noster Sancius lib. 9. de matrim. disput. 19. n. 7. Sed quod diximus est verius, & ipsi quoque placet. nam quod directè ibi fit, non est contra naturam generationis posituè, sed negatiuè, quia actus inchoatus non completur: sed huius rei subest iusta causa. imò nec maritus semper actum inchoatum complere tenetur, vt statim dicemus.

In actu coniugali huiusmodi retractio fieri non potest; nisi fortè in mora sit periculum vitæ (vt si hostis repente irruat); vel in signis verecundia, vt si amici vel alij ex improviso superueniant. tunc enim incommoda inde secuta non sunt voluntaria; vnde nec imputantur ad culpam. potest tamen fieri absque peccato mortali in duobus euentis, extra prædicta pericula. Primò, si mulier viri suscepta genitura se retrahat, priusquam ipsa suam conferat. Ratio est; tum quia secundum veriorum & probabiliorem sententiam, sperma muliebri etsi sit valdè conueniens, non tamen est necessarium ad generationem. tum quia si ipsa in actu nihil efficit; potest statim se ad illud excitare, cum hoc nihil sit aliud quam actum coniugalem complere; vt infra dubit. 14. dicitur.

Secundò, Si vir se retrahat muliere consentiente. nam absque eius ad sensu fieri non posse certum est, cum ius habeat maximè ad genituram viri, & ad talem actum vnde possit sequi procreatio liberorum. Hic tamen duæ debent adesse circumstantia. Prior, vt in muliere seminatio non sit facta, neque sit periculum illius, ex vi concitationis prauia. Altera, vt marito post retractionem non impendat periculum effusionis extra. His concurrentibus cum ob paupertatem non possunt plures alere proles, dicunt multi DD. non damnandos coniuges peccati mortalis si se in opere retraxerint. ita Angelus v. Debitum, num. 26. citans Paludanum, qui id docet in 4. d. 31. quaest. 3. conclus. 5. Siluest. v. Debitum, num. 9. Fumus eodem, num. 9. Fauet Caietanus q. 154. art. 11. versus finem. Hæc breuiter in materia verecundia verecundè dixerim ob Confessarios, qui ob crebros euentus hæc non debent ignorare. Vide Sancium lib. 9. de matrim. disp. 19. qui rem hanc fusè & doctè profecquitur.

DUBITATIO VIII.

Vtrum in osculis, tactibus, & aspectibus sit peccatum mortiferum.

D. Thomas q. 154. art. 4.

NOtandum est, Osculum posse fieri tripliciter. Primò, In signum amicitia. Secundò, Osculum Causà delectationis concubitus. Tertio, Causà delectationis ipsius osculi secundum se considerati. Idem dicendum de tactu partis honestæ.

Contactus etiam partis verendæ potest fieri toridem modis. Primò, Causà medicandi, vel aliâ necessariâ. Secundò, Causà voluptatis concubitus. Tertio, Causà voluptatis illius contactus per se spectati. His positis,

Dico Primo, Osculū causā amicitia, secundum consuetudinem patriæ, per se est licitum; similiter & delectatio inde consequens. Est communis sententia DD. & patet ex Scripturis & vsu generis humani. Ratio est, quia hoc nihil est aliud, quam testari signo externo beneuolentiam, & vnionem animorum, (cuius osculum est symbolum) fundatam in coniunctione sanguinis, vel professionis; vt olim inter Christianos; vel in alia causa honesta: vnde etiam delectatio hinc consequens, licita est. Sicut enim licitum est delectari amicitia & coniunctione, ex qua amicitia est orta, & præsentia amici; ita etiā testificatione & vsu signi illius amicitia. seruandum tamen hinc decorum, & consuetudo recepta, cauendumque scandalum: non enim decet viros Ecclesiasticos, maximè Religiosos, hoc modo testari amicitiam erga feminas; etiam si aliquo modo sanguine iunctæ essent; vel pueros, ex quibus aliquid periculi vel scandali nasci possit.

Dico Secundò, Oscula, si fiant causā delectationis concubitus extra matrimonium, sunt peccata mortifera, & pertinent ad speciem illius actus, ad cuius delectationem referuntur. Ita D. Thomas hoc art. 4. & alij Doctores omnes. Potest autem id fieri dupliciter. Primò, Si quis vtatur osculo tamquam dispositione ad concubitum; nimirum cum animo per illas blanditias ad concubitum excitandi; & de hoc est res manifesta; nam ordinatur ad finem mortiferum: vnde pertinet ad speciem illius actus ad quem ordinatur, & disponit; siue ille sit fornicatio simplex, siue adulterium, siue incestus, siue alterius speciei.

Secundò, Si vtatur tamquam signo, quo phantasia representetur ipse concubitus; vt sic voluptate concubitus in signo fruatur. Hoc modo constat etiam esse mortale: quia exhibet voluptatem actus illiciti tamquam præsentis, simili modo corpus commouens, & ad seminationem spiritus concitans.

Nec refert quòd ille non cupiat vterius progredi, quia etiā non cupiat opus ipsum facere exterius, tamen vult illud habere præsens in imaginatione, eoque sic frui: quo modo fit in delectatione morosa absque signo externo, vt infra dubit. 15. dicemus.

Sed difficultas est de osculo, quatenus ipsum per se est actus delectabilis carni, & remotè disponens ad seminationem; Vtrum si quis hac ratione illo vtatur, non intendens vterius voluptatem, quam quæ præcisè ex ipso osculo nascitur, peccet mortifere, seposito periculo pollutionis, & vterius contentus.

Videtur enim non tam grauius peccare. Primò, Quia non intendit frui voluptate concubitus, aut seminationis; neque alia, quæ ad hanc propinquè excitet, (qualis est in contactu turpi) sed longè minore, & quæ solum remorè ad illam disponat: ergo non pertinet ad eandem speciem, nec est peccatum mortiferum: sicuti nec ea, quæ ad alia peccata longinquè dirigunt, vt ad ebrietatem, furtum, homicidium, sunt peccata mortifera: vnde nec denegatur absolutio Sacramentalis ijs, qui ab huiusmodi nolunt abstinere.

Secundò, In alijs peccatorum generibus datur non solum peccata graui, sed etiam leuia, ratione paruitatis materiæ; vt patet in furto, in detractioe, in contumelia, in læsione corporali, in timiditate, seu ignaui, in impatientia, in gula, in sacrilegio, in votorum & iuramentorum violatione, & alijs peccatis; exceptis illis, quæ directè opponuntur virtutibus Theologicis, quarum materia vel obiectum est Deus: cur non etiam in peccatis luxuriæ detur paruum ratione materiæ, quod non sit nisi veniale, etiam si cum plena deliberatione fiat? Sanè non videtur posse dari vlla ratio cur id sit peculiare in hoc genere peccati; præsertim cum in materia eius sint diuersi gradus, tum actuum, tum voluptatum, ordine quodam secundum magis & minus se habentium.

Tertiò, Sponsis de futuro conceditur ea voluptas, quæ præcisè ex osculo & contactu manus vel faciei percipitur; ita vt nec venialiter quidem in ea peccent, vt docet Nauar. c. 16. num. 12. Toletus lib. 5. c. 14. Valentia disput. 9. q. 3. part. 3. (quamuis Caiet. art. 4. insinuet esse peccatum veniale: quia cum sponsalia sint dispositio ad matrimonium, sponsi ius habent ad id, quod est dispositio & præparatio ad actum matrimonij, vt iisdem docent: atqui id nullo modo eis esset licitum, nisi esset dispositio & voluptas remota, & parua in hoc genere, & ex se insufficientis ad excitandum actum principale. Itaque hoc signum est, non esse peccatum mortiferum inter non sponsos.

Obiectio.

Dices, Osculum tale naturâ suâ ordinatur ad concubitum, vt etiam patet ex vsu & instinctu quorundam animantium, in quibus huiusmodi signa solent præcedere: ergo qui consentit in illud, censetur consentire in voluptatem concubitus; ac proinde peccat mortiferè.

Respons.
Remorè
tendunt ad
concubi-
tum.

Respondeo negando consequentiam: etsi enim naturâ suâ eò tendat; tamen hæc tendentia est remota, & ab agente non eò refertur, sed sistitur in voluptate, quam actus ipse per se habet: quæ multum distinguitur à voluptate concubitus. Vnde non est necesse, vt qui in illam consentit, etiam videatur in hanc consentire. sicut qui consentit in litigium, non ideo consentit in homicidium; aut qui in potum largiorem quàm necessitas postulet, in ebrietatem. Confirmatur, quia alioquin etiam inter sponsos essent illiciti; cum hi non possint consentire in voluptatem concubitus præsentem.

59

Hæc sententia videri possit alicui probabilis; vnde in eam valdè inclinat Nauarrus, de pœnitent. d. 1. cap. Si cui. 30. in fine, eam quæ tenet Martinus de Magistris, & aliqui recentiores, quibus idem videtur de visu; eò quòd hic sensus sit magis spiritalis, nec ita moueat aut alteret naturam ad carnalia, vt contactus turpis.

*Sententia
receptior.*

Verum communior sententia est, in istis esse peccatum mortiferum; quæ & mihi probatur: tum

quia communior; tum quia tutius est vt omnia ista quàm maximè vitentur: tum quia sæpè est periculum vterioris consensus, vel morosæ delectationis, vel etiam pollutionis, ratione temperamenti, aut peculiaris dispositionis corporis; quam ob causam expedit in huiusmodi non esse laxum. Vnde etiam inter sponsos censo planè dissuadenda, si causâ voluptatis fiant. Confirm. hæc sententia; Primò, Ratione suprâ indicata. quia osculum vt est delectabile carni, naturâ suâ est signum copulæ vel instantis vel futuræ: vt etiam ex vsu animalium constat. sicut enim osculum amicitia, signum est vnionis animorum; ita carnale, coniunctionis corporum. explicatur enim hoc signo interior affectus; & prius quodammodò fit in signo, quod postea implendum in opere. itaque in eo contineri videtur tacitus quidam consensus in copulam. Secundò, Quia materia non debet censeremota, quæ tantam vim habet ad libidinis ignem excitandum, & sciendum spermatissimum. Alia tamen est ratio ad spectus, vt rectè Caietan. v. Impudicitia, sub finem. quia naturâ suâ eò non tendit, vnde nec habet tam sensibilem voluptatem, nec corpus ita commouet. Tertiò, Quia talis contactus est impudicitia quædam; nam fit causâ voluptatis impuræ. atqui impudicitia excludit à regno celorum, vt in frâ ex Apostolo dicitur: ita Caiet. suprâ. Itaque sententiam illam non dixerim probabilem. Idem sentiendum de amplexibus.

Ad Primam rationem pro ea adductam, negandum est esse dispositionem remotam in natura sanguinea, aut feruente. Ad Secundam, etiam hæc fortè potest dari materia parua, vt si contactus sit ad eò leuis & breuis, vt non sit aptus notabilem commotionem excitare. dici etiam potest, etsi in contactu non sit materia leuis, posse tamen eam dari in visu; & hoc sufficere. Ad Tertiam, Sponsis conceditur, quia est signum copulæ futuræ, in quam ratione matrimonij inchoati consentire possunt.

Dico Tertiò, Contactus partium verendarum, si fiat causâ medicandi, vel alia, quæ censetur necessaria, aut iusta, nullum est peccatum. est communis sententia DD. talis enim contactus est honestus moraliter, quia consentaneus rectæ rationi. Nec refert, quòd interim aliqua delectatio vel motus turpis subornatur; quia id est planè inuoluntarium.

Aduerte tamen, mulieres, præsertim virgines, non teneri huiusmodi genus medicandi in locis secretioribus à viris admittere, vt rectè docet Nauarrus d. cap. Si cui. n. 13. Ratio est, quia nemo tenetur admittere curationem, à qua non minùs abhorret quàm ab ipso morbo, vel morte: at multæ virgines pudicæ malunt tolerare morbum, vel mortem, quàm à viris contingi. Deinde nemo tenetur admittere id, cui coniunctum est periculum turpis motus, aut delectationis carnalis: imò ad heroicum caltatis gradum pertinet malle mori, quàm permittere in se turpes imagines, aut sensum vllum libidinis.

Dico Quartò, Si talis contactus fiat causâ voluptatis eius, quæ præcisè ex ipso nascitur, est peccatum mortiferum, etiam si desit vterior intentio. est communis DD. D. Thomæ & Caietani art. 4. Nauarti suprâ, & in Enchiridio, c. 16. num. 13.

Probatum Primò ex Scripturis: ad Galat. 5. 61

Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, im-

munditia, impudicitia, luxuria, &c. vbi impudicitia puer-

poni-

60
Contactum
partium
indivisa-
rum, ex
causâ iustâ.

Si causâ
voluptatis
est pecca-
tum morti-
ferum.

ponitur inter peccata, quæ excludunt à regno: atqui *impudicitia* proprie consistit in turpibus contactibus, vt D. Thomas docet. Aduerte tamen, in Græco non haberi *impudicitiam*, sic enim ibi legitur: *ἀτιμία ἐστὶ μορφή, πορνεία, ἀκαθάρσια, ἀσέλγεια*. Latine: *Que sunt adulterium, fornicatio, immunditia, luxuria*. sed rectè hoc genus impudicitia per *ἀσέλγεια* significatur, quod generatim omnem luxuria intemperantiam complectitur; vel per *ἀκαθάρσια*, quæ omnem turpitudinem & impuritatem designat. Vnde etiam alibi sub hoc nomine ista turpitudine damnari intelligenda est: vt ad Ephes. 5. *Fornicatio, & omnis immunditia nec nominetur in vobis, &c.* & infra: *Hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, &c. non habet hereditatem in regno Christi & Dei.* non enim A postolo est curæ, omnes libidinum species à fornicatione & adulterio distinctas propriis nominibus exprimere, sed satis ei est verbis generalibus indicare, vt notat D. Hieronymus in c. 5. ad Galatas, explicans illud, *Manifesta autem sunt opera carnis.*

2. Ex Patribus.

Secundò, Probat ex Patribus. D. Cyprianus Epist. 62. ad Pomponium: *Cerrè ipse concubitus, ipse complexus, ipsa confabulatio, & osculatio, & contentum duorum turpis & fœda dormitio, quantum dedecoris & criminis conficitur? quibus verbis docet, esse graue crimen virgini, dormire cum masculo, etiam si ab eo non corrumpatur; propter complexus, oscula, & fœdam corporum nudorum vicinitatem, quibus voluptas carnalis quaritur.*

D. Basilii lib. de vera virginitate: *Tactum verò ut sensuum omnium perniciosissimum, & sensissimè blandientem, sensusque reliquos in suas illecebras pellicientem, immaculatam quam maximam poterit curâ seruiabit.* loquitur de virgine: Vide sequentia. Vbi etiam ostendit, aspectum non allicere ad voluptatem, nisi per tactum quemdam: *Tactus enim, inquit, luminum radius, veluti quibusdam incorporeis manibus, quemcumque voluerit eminus tangit; & quæ corporis manibus attingere non potest, oculorum in tactibus patibonds complectitur, &c.*

62. 3. Ratione.

Tertiò, Ratione: Primò, Quia huiusmodi contactus non solent fieri nisi propter voluptatem resolutionis feminis: atqui intendere hanc voluptatem extra matrimonium, est peccatum mortiferum: ergo, &c.

Secundò, Quia per se & proximè ad hanc disponunt, & hæc ordinariè ex illis sequitur, vt passim Doctores tradunt: ergo pertinent ad eandem speciem moralem, tamquam occasio & causa propinqua.

Si causa curiositatis fiat.

Aduerte tamen, secundum quosdam, si talis contactus non fiat causâ voluptatis carnalis, sed solius curiositatis, per se non esse peccatum mortiferum; præsertim si periculum pollutionis absit: quia tunc sub alia ratione magis spiritali & eleuata apprehenditur, quæ tantam vim ad naturam concitandam non habet: & affectus non quarit in eo voluptatem carnalem, sed curiosè cognitionis. Videntur id insinuare DD. cum dicunt illa esse peccata mortifera, si causâ voluptatis fiant; quam restrictionem non adderent, si idem putarent, dum causâ curiositatis. Verùm talis curiositas est periculosa: vnde non solum vt peccatum veniale, sed etiam ob periculum mortalis cauenda.

63

Petes Primò, Vtrum in turpiloquio sit peccatum mortiferum.

Respondeo, Si fiat animo se oblectandi rebus ipsis narratis, & imaginationi obiectis tamquam præsentibus, est peccatum mortiferum; sicut & ipsa delectatio morosa, cuius causâ fit. Similiter si animo excitandi se vel alios ad turpia, vel cum periculo in illa contentiendi, etiam si animus iste desit. Si verò solum fiat ob voluptatem, quæ præcisè ex ipsa narratione capitur, absque vltiore intentione, est peccatum veniale; vt docet Toletus lib. 5. cap. 14. Ratio est, quia est solum voluptas remota, ex confusa apprehensione rerum narratarum, tamquam absentium, proueniens, solum remota ad turpia disponens: non enim narrata & audita leuiter, ita mouent vt visa; & multò minùs quàm contacta. Nec refert etiã fortè talia dicens vel audiens rideat, videaturque illis affici, modò reuerà non delectationis veneret, sed ioci causâ id faciat, & vrbanitatis. Non tamen excusandi, qui volunt videri turpibus dediti, & inde æstimari. nam de letali peccato gloriam querere, est letale, ob illius complacentiam. Si complacentia in turpitudinem ablit, & solum velit apud focios videri fuisse huiusmodi deditus, vt æstimetur ingenium, dexteritas, virilitas, experientia, seposito scandalo non videtur damnandus peccati mortiferi, vt dictum est sup. lib. 2. cap. 47. n. 42. Numquam tamen castus animus huiusmodi narrationibus & iocis sciens & volens delectabitur.

Vtrum turpiloquium sit peccatum mortiferum.

Petes Secundò, Vtrum femina aduertens se tangi ab alio affectu libidinoso, teneatur sub peccato mortali se retrahere, vel impedire talem contactum.

64. Si contactus per se honestus, ex affectu carnis procedat.

Respondeo, Si contactus sit exterius honestus, & iuxta receptum patriæ morem fiat, vt cum in aduentu, vel recessu amicorum, osculum figitur, vel dextera apprehenditur; non tenetur illum refugere, etiam si impurum alterius animum nouerit, vt rectè Caiet. hoc loco docet. Ratio est, quia hic actus per se est licitus.

Nec refert, quòd iste praua intentione faciat; quia quando duo ad vnum opus concurrunt, potest alter facere vel pati bona intentione, quod alter facit malâ: vt multis exemplis ostendi potest. Quod generaliter verum est, quotiescumque ille iustam causam habet non detrectandi; qualis isti proposito est patriæ consuetudo, & amicitia, vel consanguinitas. Idem dicendum de contactu locorum secretorum, cum medicamenta applicanda, vel alia causa iusta intercedit; quia actus exterius cum istis circumstantiis est honestus. Hæc intellige, quantum est ex lege virtutis temperantia: nam lege charitatis, ne videlicet alter peccet, tenetur huiusmodi contactus, si commodè potest, declinare.

Si autem contactus per se, & spectatis externis circumstantiis, sit inhonestus, tenetur sub peccato mortali illum vitare, si potest. Ratio est, quia sicuti lege castitatis tenemur vitare pollutionem, ita etiam id quod ad eam excitat: atqui non minùs ad eam excitat talis contactus passiuus quàm actiuus, id est, non minùs ita tangi quàm tangere; ergo sicuti tenemur vitare actiuum sub mortali, ita etiam passiuum. Dicitur autem non posse vitare, quando sine graui incommodo non potest: quod incommodum debet esse tale, vt perpeffioni istius contactus vel violationis præponderet, vel saltem sit æquale: vt si periculum mortis, infamiae, vel amissionis bonorum

Si per se inhonestus.

norum non permittenti impendeat. Vide Caietanum art. 4. sub finem.

65 *Aspectus.* Quod ad aspectum attinet, si versetur circa partes honestas, nullum in eo per se præcisè est peccatum, nisi fortè actus otiosi, aut si ad concupiscendum fiat, vt docet Caiet. v. Impudicitia. Et ratio est, quia cum aspectus sit sensus magis eleuatus & spiritalis, per se non mouet ad voluptatem carnalem. Potest tamen esse peccatum ratione periculi, maximè si sit diurnus. v. g. circa feminam pulchram. Nam aspectus facit vt phantasia apprehendat rem illam non solum vt delectabilem visui, sed etiam vt delectabilem tactui, & carni: ex qua imaginatione naturaliter sequitur in affectu complacentia & delectatio, in spiritibus & sanguine commotio, & hinc in membris rebellio. Itaque curiosi aspectus sunt valdè vitandi. nam innumeris ex illis sunt perducti ad lapsum. Hinc Psalm. 118. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuificame.* & Ecclesiastici 31. *Ne quis oculo quid creatum est? Iob 21. Pepigi sedus cum oculis meis, ne vquam cogitarem de virgine.* Admisceat se plerumque diabolus, & facit vt species visa assidue obuersetur phantasia, quæ sensum affectum allicit, & naturam commouet.

Periculum ex aspectu.

Si autem versetur circa partes inhonestas, etsi non tantam vim habeat, quantam contactus, nec tam directè moueat; tamen plerumque naturam concitat, & voluptatem carnalem excitat, quam sine peccato mortifero intendere non potes, vt docet Siluest. v. Delectatio, q. 4. Si autem ob causam necessariam vel vilem fiat, & nulla talis voluptas intendatur, non erit peccatum, etsi ea præter intentionem subrepat.

Ex curiositate.

Si autem ex curiositate fiat, non potest excusari à peccato veniali; imò nec à mortali, si circa diuersum sexum: quia est res valdè scanda contra naturalem honestatem, & valdè libidinem prouocans. Idem ob eandem rationem dicendum, si fiat specie mortificationis; vt docet D. Anson. 2. p. tit. 5. cap. 1. §. De quibusdam qui huiusmodi prætextu feminam coram se nudari faciebant, adeò enim id repugnat naturali honestati, vt primi parentes statim post transgressionem non sint passi se nudos videri, vt idem ait. Circa eundem sexum, si ex curiositate fiat, est minor indecentia; tamen potest esse peccatum mortale ratione periculi consensus in voluptatem, vel in actum turpem, aut ratione scandali.

D V B I T A T I O I X.

Quale peccatum sit stuprum & raptus.

D. Thomas art. 6. & 7.

66 *Stuprum generatim.* **S** *Stuprum* generatim significat omnem concubitum legibus vetitum. vnde passim apud Auctores *adulterium, incestus, & libido præposita* stuprum vocantur: vt ex Plauto, Cicerone, & aliis constat.

Strictè.

Strictè verò accipitur pro virginis violatione, maximè si per vim fiat. quo modo addit malitiam mortiferam contra iustitiam, actui fornicationis; estque graue crimen, quod etiam morte per leges punitur; siue virgo sit, cui vis illata est, siue corrupta. Grauius tamen est in virgine, propter florem pudicitia vi ereptum.

Si verò non fiat per vim, sed ipsa sponte con-

sentiente, probabilis est circumstantiam virginis non addere malitiam mortiferam, vt ostensum est lib. 2. cap. 10. dubit. 1. quo cap. de hoc vitio & obligatione iustitiae ex eo orta lat multa diximus.

Raptus propriè dicitur, cum persona aliqua libidinis causâ, vi illata abducitur, siue sit masculus, siue femina; siue nupta, siue innupta; siue vis inferatur soli abductæ, siue ijs quorum potestati subest, siue vtrisque: vt colligit Gratianus ex c. 3. De raptoribus. 36. q. 1. Ad raptum enim tria requiruntur; nimirum vis illata, abductio, & vt fiat causâ concubitus, aut alterius libidinis.

Si non abducatur, sed in loco violetur, non propriè dicitur *raptus*, sed vim seu *stuprum* passa: quamuis generatim id etiam raptus vocetur, iuxta D. Thomam art. 7. & Nauar. cap. 16. num. 3. & Gratianum d. c. 3. De raptoribus. 36. q. 1. quem sequuntur alij. vnde & pœnæ raptorum ad tales pertinent. Similiter si nulla vis inferatur, sed ipsa sponte discedat cum amasio, parentibus nescientibus, non erit propriè raptus, sed voluntaria fuga. Itaque requiritur vt vis inferatur vel ipsi, vel saltem ijs ad quos pertinet, v. g. parenti, marito, sponso, curatori; abducendo illam ipsis contradicentibus, & repugnantibus.

Si abducatur non causâ libidinis, sed redigendi in seruitutem, & vindicandi dominij, dicitur *plagium*, non raptus: est enim furtum hominis, non luxuria. non tamen requiritur ad raptum vt re ipsa concubitus sit secutus; sufficit vt eo sine raptus sit, vt ex variis textibus Iuris colligitur.

67 *Quomodo* Petes, Quomodo ergo raptus ponitur species luxuria, cum potius sit species iniuriæ?

Respondeo, Ratione intentionis pertinere ad luxuriam; quia libidinis causâ sit: ipse tamen actus exterior secundum se solum est contra iustitiam, nisi ei coniungatur violatio. Vel certè dicendum est, raptum completum esse speciem luxuria; completur enim per concubitum, ad quem proximè tendit: & sic ratione sui termini pertinet illud opus externum ad luxuriam, veluti quadam species eius; non tamen est propriè, seu metaphysicè loquendo, species; quia circumstantia illa, per quam contrahitur communis ratio luxuria in raptu, non est propriè contra castitatem, sed contra iustitiam.

Ex his patet, duplicem malitiam in hoc actu includi; alteram contra iustitiam, alteram contra castitatem: ac proinde ad vtrumque vitium pertinere; quamuis ratione finis inter species luxuria numeretur.

Notandum est, graues pœnas vtroque Iure in raptos esse constitutas, L. vnica, C. de raptu virginum, &c. pro raptu puella, vel mulieris honesta; siue nupta, siue innupta, statuitur supplicium capitis tum raptori, tum ijs qui ipsi auxilio fuerint: & bona eorum addicenda per Iudicem mulieri raptæ. Deprehensus in flagrante crimine, potest à coniunctis personis, & à tutoribus, vel curatoribus raptæ impunè interfici. Si raptus sit serua, etiam supplicium capitis decernitur, absque tamen bonorum additione. Hic sub raptu Doctores etiam vim illatam libidinis causa, etsi persona non sit abducta, intelligunt.

Iure verò Canonico cap. Raptor. 33 & cap. 34. Statutum. 27. q. 2. statuitur, Primò, vt raptor alienæ sponsæ publica pœnitentia mulsetur.

Secun-

Est impedimentum impediens.

Secundò, Vt sine spe coniugij maneat. Itaque est impedimentum non quidem dirimens, sed impediens ab omni coniugio. Potest tamen Episcopus in eo dispensare. imò quibusdam locis non est hoc impedimentum in usu; vt Nauarrus notauit cap. 22. num. 74.

Sunt excommunicati.

Tertiò, Raptor alicuius puella, vel mulieris cuiuscumque, & omnes illi consilium, auxilium & fauorem præbentes sunt ipso iure excommunicati, & perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de proprio gradu deijciendi. Ita Concilium Trident. sess. 24. de reformatione. matrim. cap. 6.

69 *Est impedimentum pro tempore dirimens.*

Quartò, Inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in eius potestate manserit, nullum potest consistere matrimonium, etiamsi ipsa liberè consenserit; vnde pro eo tempore est impedimentum dirimens. Vbi tamen à raptoe fuerit separata, & in loco tuto & libero constituta, potest illi nubere, si velit. Ita Concilium supra. quo casu putant quidam tolli infamiam, & incapacitatem ad dignitates, per raptum contractam: alioquin rapta cogereetur nubere viro infami; quod esset in ipsius grauiorem, contra fauorem, quem Concilium intendit dare matrimonio. vide Henriquez lib. 2. de matrim. cap. vlt.

An per nuptias cum rapta, tollatur infamia.

Contrarium puto verius: nam Concilium id aperte videtur excludere; sic enim ait: *Quòd si rapta, à raptoe separata, & in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptoe in uxorem habeat; & nihilominus raptoe ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, fauorem præbentes, sint ipso iure excommunicati, ac perpetuò infames, &c.* quasi dicat, etiamsi illam duxerit, incurrat in has penas.

Ad rationem.

Ad rationem in contrarium dico, non cogi illam nubere infami, sed posse abstinere, si velit. imò iure ciuili non poterit ei nubere, vt patet C. de rapto virginum; quod fuit confirmatum iure Canonico antiquo, cap. Raptores. 2. & cap. 11. Placuit. 36. q. 2. quamuis id postea reuocatum fuerit, vt constat ex cap. fin. de raptoribus. vnde Concilium non cupit illi matrimonio fauorem præstare; sed restringit concessionem d. cap. finalis, vbi non requiritur vt constitutur in loco tuto, sed solum vt liberè consentiat.

70

Circa prædictum decretum tria notanda. Primum, Valdè probabile videri, illud non habere locum in rapto, qui fit tantum causâ libidinis explenda; de quo iam dictum est: sed dumtaxat in eo qui dirigitur ad contrahendum matrimonium. ita docet Sancius lib. 7. de matrim. disput. 13. n. 4. Congruum enim erat, vt ille raptus esset matrimonij impedimentum, qui propter matrimonium attentatur, nimirum, vt nemo audeat attentare per quod se suo sine videt frustrandum. quæ ratio non habet locum in rapto causâ libidinis facto. Accedit, quòd rariùs ex tali sequatur matrimonium: nam plerumque raptam, vbi libidinem expleuerint, repellunt. Confir. quia verba intelligenda iuxta præsentem materiam. alioqui dicendum erit, etiam ex rapto seruiendi causâ facto, impedimentum nasci.

Secundum, Non habere etiam locum, cum puella sponte consentit abductioni, etiamsi parentibus repugnantibus fiat. Ratio est, tum quia propriè non est raptus; quamuis ratione violentiæ quæ fit parentibus, sub quorum cura est, raptus dica-

tur, & iure ciuili puniatur: tum quia iste raptus non repugnat villo modo libertati matrimonij, cui Concilium eo decreto solum voluit consultum; cuius signum est, quòd semper permittat matrimonium, quando puella suæ libertati est restituta, nec requirat consensum parentum.

Tertium, Non habere locum in rapto, quo si sponsus raptus rapit propriam sponsam; quia id in iure raptus non vocatur crimen raptus; eò quòd ex desponsatione aliquid iuris in eam habeat; vt rectè notat D. Thomas ar. 6. ad quartum, & reliqui Doctores. Vnde Gelasius Papa (vt habetur 36. qu. 1. c. Lex illa 2.) dicit: *Lex illa præteritorum Principum, vbi raptum dicit esse commissum, vbi puella, de cuius nuptiis ante nihil actum fuerat, videbatur abducta.*

DUBITATIO X.

Quid adulterium, & quale peccatum.

D. Thomas ar. 8.

Adulterium iuxta D. Thomam, dictum est quasi ad alienum torum accessio: nihil enim est aliud quàm alieni tori violatio. vnde requiritur vt vterque vel alter sit iunctus matrimonio; nam circumstantia coniugij in viro vel in femina facit vt actus luxuriæ dicatur adulterium.

Porrò hunc actum esse peccatum mortiferum, constat ex pluribus sacra Scriptura locis; Exo. 20. *tum mori Non machaberis.* Leuit. 20. *Si machatus quis fuerit tale. cum uxore alterius, & adulterium perperrauerit cum coniuge proximi sui, morte moriatur & machus & adultera.* Idem habetur Deuter. 22. & 27. *Malédictus qui dormierit cum uxore proximi sui.* Job 31. *Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum: scortum alterius sit uxor mea, & super illam incurruerit alij: hoc enim nefas est & iniquitas maxima. Ignis est vsque ad perditionem deuorans; & omnia eradicans genimina.*

Vide pulcherrima in hanc sententiam Ecclesiastici 2. Prouerb. 6. Ieremiæ 5. 1. ad Cor. 6. *Nolite errare, neque fornicari, neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt.* Adde etiam, animalia Bruta non quaedam adulterium detestari & vindicare, vt Guilielmus Parisiensis primæ partis de vniuerso parte 3. cap. 8. de ciconiis testatur: *Tempore, inquit, meo, ciconia tanquam de adulterio conuicta per olfactum masculi sui, congregata multitudine ciconiarum, nescio qualiter accusante masculo, vel detegente eius crimen, à tota illa multitudine deplumata atque dilacerata est, tanquam concilio aut iudicio omnium esset adulterij iudicata.*

Ratio est manifesta, quia continet totam malignitatem fornicationis, quam ostendimus esse mortiferam; & præterea iniuriam in coniugem quatenus enim est inter personas nullo vinculo coniugali copulatas, habet deformitatem & omnia incommoda fornicationis; quatenus verò est contra ius coniugis in re graui, est grauis iniuria contra iustitiam admissa: nam *uir non habet potestatem corporis sui, sed uxor; & contra, uxor non habet potestatem corporis sui, sed uir;* vt docet Apóst. 1. ad Cor. 7. Confistit autem hæc potestas, seu hoc ius in duobus. Primò, Quòd alter teneatur alteri volenti debitum coniugale persolvere. Secundò, Quòd teneatur à persona extranea abstinere. Itaque duobus modis fit coniugi grauis iniuria in causâ matrimonij. Primò, Si nolit petenti debitum

71

Nulla adulterium peccatum.

72

Cur sit peccatum mortale.

Ius coniugis.

Dupliciter fit coniugi iniuria.

debitum reddere; tunc enim ei denegat usum rei suae. Secundò, Si se alteri copulet; tunc enim id quod est coniugis quoad usum, tribuit alteri: imò cum sit vna caro cum coniuge, carnem coniugis miscet & vnit carni extraneae. quanta autem sit hæc iniuria, patet ex communi hominum aestimatione, qui illam tanti faciunt, vt purent vix posse irrogari maiorem: vnde etiam morte vel perpetuo diuortio illam vindicare solent.

73 *Si coniunx cedat iure suo.* Dices, Quid si coniunx cedat iure suo, vel etiam fiat leno suae vxoris vt sit particeps pretij, vel alterius commodi?

Respondeo, Eo quidem casu non fore propriè iniuriam in personam coniugis, vt constat ex dictis sup. c. 7. dub. 3. *Scienti enim & consentienti nõ fit iniuria;* vt habet regula Iuris 27. l. 6. de Regul. Iuris: nihilominus erit iniuria in ipsum matrimonij statum & ordinem coniugatorum: sicut si Clericus cedat iure suae exemptionis, quo non potest conueniri coram Iudice sæculari, & sponte linat se ad tribunal sæculare pertrahi, non fiet ei propriè iniuria; sed statui clericali & ordini ecclesiastico. Simili modo qui occidit hominem volentem, non facit illi propriè iniuriam; sed peccat in naturam humanam. Vnde patet, in illo actu adhuc remanere duplicem malitiam, alteram contra castitatem, alteram contra matrimonij statum; et si nõ dicatur propriè iniuria in personam coniugis, v. g. in Petru; eò quod non fiat ipso nolente & inuito, (quod tamen propriè hoc nomen connotat) nec obliget ad restitutionem vel satisfactionem, ob præuiam condonationem; tamen verè est contra iustitiam; quia est contra ius coniugij, & coniugis vt coniunx est, quo ille cedere efficaciter non potest, eò quod competat ipsi non ad bonum priuatum, sed ratione status, qui est communis. vnde cum cessio sit nulla, ius manet, & ita contra illud peccatur.

74 *Adulterium tripliciter patrat.* Notandum est, adulterium triplici modo posse committi. Primò, Ex parte viri tantum. Secundò, Ex parte feminae tantum. Tertio, Ex parte vtriusque.

Si primo modo fiat, (vt si coniugatus soluta copuletur) erit quidem graue peccatum mortiferum, vt ex dictis patet; minus tamen, quam si coniugata soluta. Ratio est, quia longè magis repugnat Iuri naturæ vt vna femina iungatur duobus viris, quam vt vnus vir duabus feminis. vnde etiam si hoc aliquando fuerit concessum; (vt patet in Patribus veteris Testamenti, qui habebant plures vxores) illud tamen nunquam. Causa cur magis repugnet, est Primò, Quia vna mulier pluribus viris satisfacere nequit, quin ordinariè impediatur generatio, quæ est finis istius coniunctionis. Secundò, Quia et si fortè interdum generatio non impediatur; tamen erit contra certitudinem prolis: nam incertum erit vtri viro proles sit assignanda, marito an adultero: quod est contra bonam proles educationem, quæ maximè paterna opera indiget. Tertio, Quia fit peculiaris iniuria marito, dum ei aliena proles supponitur, vel saltem ipsa se constituit in periculo id faciendi. Quarto, Fit iniuria proli legitima, adducto à matre in partitionem hereditatis extraneo. Hæc incommoda non sequuntur ex adulterio viri cum soluta. Hinc fit vt adulterium coniugatae vindicetur morte, si maritus illam iure prosequatur; coniugati verò nequaquam. quamquam in veteri Lege vterque morti addicebatur, vt patet Leuitici 20. & Deuter. 22.

Cur vna non possit iungi pluribus.

Grauiissimum autem erit, si tertio modo fiat, nisi mirum vtroque coniugij vinculis adstricto: tunc enim in illo actu est duplex iniuria mortifera; nam duorum matrimoniorum iura violantur, & duobus coniugibus iniuria irrogatur. Vnde eo casu in confessione non sufficit accusatio sui de adulterio in genere; sed explicanda est illa circumstantia, ratione cuius iniuria duplicatur.

Nec refert, etiam si illæ iniuriæ sint eiusdem speciei; quia non solum species peccati, sed etiam numerus explicandus; non tantum numerus actuum materialium, sed etiam numerus maliciarum, quæ sunt in vno actu; vt si quis vno ictu occidat duos homines, vel duobus maledicat, detrahat, conuictetur.

Pari modo, quando est adulterium ratione solius feminae, puto id explicandum, propter peculiarem deformitatem & mala coniuncta; ob quæ hoc videtur longè grauius.

Nec obstat, quod vir in hoc actu nihil agat contra fidem à se datam, cum nulli fidem coniugalem dederit: quia satis est quod feminae cooperetur in violanda fide, quam ipsa suo dedit marito; & ad alia damna, quæ inde sequuntur.

DUBITATIO XI.

Quid incestus, & quale peccatum.

D. Thomas art. 9.

Incestus est congressus cum consanguinea vel affine intra gradus prohibitos: quales sunt omnes gradus consanguinitatis & affinitatis ex matrimonio contractæ, vsque ad quartum gradum, vt communiter DD. tradunt: ex fornicatione verò vsque ad secundum; vt constat ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 4.

Gradus autem cognationis legalis, quæ nascitur ex adoptione, & cognationis spiritalis, quæ ex Baptismo & Confirmatione, propriè ad hoc vitium non pertinent; quia sunt vincula magis spiritalia, nec faciunt coniunctionem carnis & sanguinis, sicut consanguinitas & affinitas. negari tamen non potest, quin violatio talis cognationis per actum luxuriæ habeat specialem deformitatem; cum illa cognatio constituat impedimentum dirimens: vnde talis actus poterit etiam dici incestus, paulò latius extensa hac voce; quia fit cum persona, cui ratione istius coniunctionis specialis debebatur reuerentia in ista materia; nec est aliud nomen, quod ei meliùs conueniat, si cognatio sit ex adoptione. si verò sit ex Sacramento, rectiùs referetur ad sacrilegium.

Porro incestum esse graue peccatum, constat ex Scripturis: 1. ad Corinth. 5. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes: ita vt vxorem patris sui aliquis habeat. & vos inflati estis, & non magis luctum habuistis; ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit, &c.* vbi etiam Apostolus illum tradit satanae, eiciendo extra Ecclesiam: & vult totam Ecclesiam ob tale facinus esse in luctu. Leuit. 18. *Omnis homo ad proximum sanguinis sui non accedat, vt reuelet turpitudinem eius: ego Dominus Deus vester.* Deinde recensentur omnes gradus Iure diuino pro illo tempore vetiti, & prohibetur coniunctio: & c. 20. constituitur pœna mortis in transgressores. additur causa, quia rem illicitam, rem nefariam operati sunt.

Veta-

77
Qui gra-
dus vici-
bantur in
Leuitico.

Verabatur autem illo tempore inter consanguineos quidem primus & secundus gradus; præterquam inter neptem & patrum, vel auunculum: & inter consobrinos. Inter affines, primus & secundus linea rectæ; vt inter nouercam & priuignum, eiusque filium: inter vitricum & priuignam, eiusque vel priuigni filiam. Item primus gradus linea transfersæ; vt inter maritum & sororem vxoris; inter vxorem & fratrem mariti: mortuo tamen marito sine liberis, poterat frater eius accipere vxorem defuncti, vt patet Deut. 25. Similiter mortua vxore, videtur maritus defunctæ potuisse accipere sororem illius; vnde d. c. 18. signatè dicitur: *Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius, adhuc ea vivente: indicando post mortem non esse impedimentum.*

78
Est contra
reueren-
tiam iuri
sanguinis
debitam.

Ratio, cur hoc tantum peccatum sit, est, quia est contra reuerentiam & honorem debitum, in hoc genere actuum, consanguinitati; quam causam passim indicat Scriptura, cum ait: *ne discoperias, ne reueles turpitudinem matris, sororis, &c.* cum enim in consanguineis & affinibus principium ortus nostri intueamur, vt supra lib. 2. c. 46. dub. 1. dictum est, debetur illis certa quædam reuerentia, quoad ea quæ ad actum gignendi pertinent. Hinc filij Noë, Sem, & Iaphet, eû tanta cautione & eulabia virilia patris texerunt; & Cham maledictionem patris ob irreuerentiam & irrisionem incurrit, Gen. 9. Imò etiam quibusdam animantibus similis quidam reuerentiæ instinctus erga parentes est ingenuus; vt Aristoteles lib. 1. historia animalium, cap. 47. docet: vbi refert, camelos nec vi adigi posse vt matribus congregiantur: cumque fraude camelarij pullus quidam contentam matrem, ne posset agnosci, inscendisset, & postea detracto tegumento eam cognouisset, morsu interfecisse auctorem. Ibidem narrat, equum quemdam generosissimum regis Scytharum cum matre congregi nollet, simili artificio deceptum, postea re detecta fugisse, & ex alto se præcipitem datum elississe. Simile refert Guilielmus Parisiensis primæ partis de Vniuerso part. 3. c. 8. de quodam equo, qui pari modo admisus in matrem, sibi genitalia mordicus præcidit: natura ipsa testante quàm id sit graue piaculum.

Accedit, quòd per illum actum ex duobus fiat vna caro, & veluti vnus homo completus. vnde natura quærit eos, inter quos antè non erat coniunctio carnalis; & refugit, qui iam antè ratione consanguinitatis vel affinitatis erant vna caro. Denique ad illud opus requiruntur mas & femina, tamquam duo principia partialia distincta: at per consanguinitatem & affinitatem duo sunt veluti vnum quid, tenens se ex parte alterius principij; vel potius abstrahens ab hoc vel illo sexu: nam frater & soror non aliter sunt vnum, quàm duo fratres, vel duæ sorores, &c.

Gravior tamen multò est incestus cum consanguinea, quàm cum affine in eodem gradu, v. g. cum sorore sua, quàm cum sorore vxoris: quia illud vinculum est multò arctius: nam plus est esse coniunctum aliis ratione proprij sanguinis, quàm ratione sanguinis vxoris: maior enim est vnio ad suam carnem quàm ad carnem vxoris; vnde etiam hoc vinculum est magis naturale.

79 Dubium tamen est, vtrum id faciat diuersitatem specificam in incestu.

Caictanus in artic. 9. negat, & vult solum esse circumstantiam aggravantem; sicut maior quantitas rei ablata in furto. Idem docet de diuersitate graduum vtriusque; addens, non oportere esse sollicitum in ea explicanda in confessione. Idem sentiunt aliqui recentiores.

Sed verius est esse diuersitatem specificam. Primò, Ratione consanguinitatis & affinitatis: hæc enim vincula specie differunt, sicut vnio mediata & immediata, naturalis & voluntaria. Confirmatur, quia multò immanior censetur incestus cum matre, quàm cum nouerca; cum sorore, quàm cum vxore fratris. Secundò, Ratione linea rectæ & lateralis; nam nullo vnquam casu fuit licitus concubitus inter consanguineos in linea recta. Et confirmatur, quia longè alia reuerentia debita est matri, alia forori, & longè fœdior illius, quàm huius violatio. Tertiò, Ratione primi gradus consanguinitatis linea lateralis & reliquorum. item ratione primi gradus affinitatis linea rectæ, & reliquorum, præsertim linea transfersæ; vt colligitur ex Apostolo 1. Cor. 5. Ratio est, quia illi Iure naturæ prohibiti, & matrimonium dirimunt; hi solum Iure positiuo.

Quod ad gradus reliquos attinet, qui solo Iure 80 positiuo prohibiti sunt, etsi probabilis sit sententia Nauarræ cap. 16. n. 3. & multorum aliorum, omnes specie differre, & efficere incestum specie diuersum; tamen contrarium est probabile, nimirum illos gradus in consanguinitate esse eiusdem inter se speciei, similiter in affinitate. Ratio est, quia nullus horum Iure naturæ matrimonio repugnat, & omnis repugnantia, quam habent ad illum actum, est solum ex Iure illo positiuo; quod ob eandem causas, eademque motiua eos vetuit; quorum præcipuum est, vt propinquus in illis gradibus reuerentia deferatur; accessoria, vt affinitates ac amicitia multiplicentur, occasiones libidinis inter propinquos (qui sæpè cohabitare solent) videntur, & amor carnalis vinculis multiplicatis non nimium increseat; vt ex D. Thoma art. 9. & Caictano ibidem colligitur. Et quamuis hæ rationes eò magis appareant & locum habeant, quòd gradus est propinquior; vt in secundo plus quàm in tertio, & in tertio quàm in quarto; hoc tamen non conuincit diuersitatem specificam, sed solum differentiam secundum magis & minus intra eandem speciem.

Notandum est, etsi incestus cum sua consanguinea sit grauior quàm cum affine, consanguinea vxoris; ceteris paribus; tamen hic habet peculiarem effectum, eumque duplicem. Prior est, quòd impediatur petitionem debiti; eò quòd cognoscendo consanguineam vxoris, factus sit vxoris affinis eo gradu, quo ipsa vxori erat sanguine iuncta. Hoc tamen intelligendum, nisi fortè ignorabas esse affinem: tunc enim non esset formaliter incestus, sed simplex fornicatio; vnde nec pœnam incestui constitutam, vt est non posse petere debitum, induceret.

Vbi tamen aduerte, petitionem debiti post Conc. Trident. non impediri, nisi sit consanguinea vxori in primo vel secundo gradu: non autem si in tertio vel quarto. Concil. enim sess. 24. cap. 4. de reform. matr. constituit vt affinitas ex illicita copula non dirimat matrimonium vltra secundum gradum; & Pius V. Extrau. Ad Romanam. anno 1566. declarauit, vltra illum gradum ne impedire

An diuersitas graduum faciat diuersitatem specificam in incestu.

81
Impedi-
mentum ex
incestu cum
consanguinea vxoria.

pedire quidem. Vnde sequitur, nec petitionem debiti, qui est usus matrimonij impedire, cui enim conceditur quod maius est, conceditur etiam quod minus est, & in illo maiore inclusum.

Alter est, quod mortua vxore non possit aliam ducere, & si duxerit, non poterit exigere debitum absque dispensatione. inducit enim hoc peccatum impedimentum, non quidem dirimens, sed impediens. vtrumque colligitur cap. Transmissa. 4. de eo qui cognouit. consang. vxoris, & 32. quæst. 7. multis capitulis.

⁸¹ Vtrum verò simile impedimentum inducat incestus cum consanguinea, disputatur inter DD. D. Thomas in 4. d. 34. q. 1. a. vltimo negat, quem communiter sequuntur Theologi, teste Nauarro c. 22. n. 74. & Couarruuias in epitome 4. decret. cap. 7. in princ. num. 4. Idem tenet Toletus lib. 5. cap. 12. & Siluester, Matrimonium 7. num. 6. cum Rosella & Archidiacono. Nauarrus verò & plerique Canonista cum Panormitano in cap. 1. & 2. de eo, & qui cognouit. consang. vxoris, affirmant. Sed certum est, incestum cum sua consanguinea non inducere affinitatem cum vxore, nisi fortè illa etiam sit consanguinea vxoris in primo vel secundo gradu: ac proinde nec impediri debiti petitionem. Itaque si impedit secundas nuptias, id aliunde, nimirum ex vi peculiaris ordinationis Ecclesie, prouenit. Et quamuis Canonistarum sententia sit probabilis, mihi placet sententia Theologorum: nam cap. 8. de incestis. 33. q. 3. imposta pro tanto crimine satisfactione, additur in fine: *Sane quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt in eunda melioris coniugij libertatem.* Vbi generatim omnibus id conceditur. & cap. 4. Si duo. 35. q. 6. de incestuosis iam separatis dicitur, *Qui iuuenes sunt, alia matrimonij contrahere non prohibeantur.* vbi, vt bene notat Caietanus contra Glossam, non disponitur vt si non sint iuuenes, prohibeantur, sed determinatur causa, cur in futurum illi non sint prohibendi. Olim tamen aliquando in pœnam prohibebantur contrahere secundas nuptias, sicut & alij, qui pœnitentiam publicam egerant, quod videtur adhuc seruari in Curia Romana. nam quando dispensatur inter consanguineos vt possint contrahere; si præcessit copula, additur clausula, vt mortuo coniuge, alter maneat cœlebs. Quidam tamen dicunt, id non ob stare in foro conscientie: esse enim clausulam ordinariam. Imò omnia impedimenta Iure humano impediencia, vsu contraria esse abrogata, ita vt non necessario petenda sit dispensatio.

DVBITATIO XII.

Quid sacrilegium in materia luxuria, & quale peccatum.

D. Thomas art. 10.

⁸³ **S**acrilegium hoc loco nihil est aliud, quam violatio rei sacre per actum venereum. *Rem sacram* voco personam Deo per votum castitatis dicatam, & locum, vel aliam rem consecratam. *Violatio* est cum aliquid agitur, quod peculiariter sanctitati illius vel reuerentie illi vel potius diuino in illa Numini debita, repugnat: tunc enim illa res, quantum ex facto hominis quodammodo contaminatur, polluitur, & veluti profana efficitur. Potest autem res sacra dupliciter violari.

Primò, Actione, quæ sit contra aliam virtutem, v. g. contra iustitiam, vel castitatem; vt si persona sacra verberetur, vel occidatur; si res consecrata furto furripiatur; si reus ad locum sacrum confugiens, vi inde contra Ius abstrahatur; si persona sacra se polluat: & tunc opus habet duplicem malitiam & duplicem speciem, & sub duobus vitiorum generibus ponitur, iuxta ea quæ dubitat. 4. diximus.

Secundò, Actione, quæ non sit contra aliam virtutem, sed solum inde malitiam contrahat, quod rem sacram indignè tractet; vt si opus matrimonij in loco sacro absque necessitate fiat. Nos hinc solum de violatione illa rei sacre agimus, quæ fit per actum venereum internum, vel externum, siue ille simul sit directè contra castitatem, vel iustitiam, siue non sit. De alijs sacrilegijs dictum est lib. 2. cap. 45.

Hoc autem fieri potest quinque modis. Primò, Si persona sacra in turpe opus externum, vel etiam in delectationem internam consentiat: violat enim sanctitatem suæ personæ, quæ in eo sita est, quod Deo per votum castitatis sit consecrata.

Secundò, Si persona non sacra consentiat in turpe opus circa personam sacram.

Tertiò, Si vtraque sit sacra: tunc enim duplex est sacrilegium; sicut est duplex adulterium, cum vterque est coniugio copulatus.

Quartò, Cum sit in loco sacro absque necessitate, etiam si sint coniuges.

Quintò, Cum sit circa aliam rem sacram, vel eius interuentu: vt olim fecerunt quidam heretici, excipientes sperma calice, horrendo prorsus sacrilegio.

Dixi in quarto modo, *absque necessitate*; quia si longo tempore maneat conclusi in loco sacro, ratione belli vel concussione, militaris, & imminet alteri periculum incontinentie, non erit peccatum, reddere aut etiam petere debitum in loco sacro, si alibi non est opportunitas: vt docet Siluester v. Debitum, n. 5. & v. Consecratio, 2. num. 5. Richardus in 4. d. 32. art. 3. q. 2. Alphonfus à Castro lib. 1. de prest. legis pœnal. cap. 7. docum. 2. Couarruuias, de sponsa lib. p. 2. cap. 7. §. 2. num. 3. Toletus lib. 5. cap. 12. (quamuis Paludanus in 4. d. 32. q. 4. & quidam alij, putent esse peccatum mortiferum.) Ratio est, quia in eo casu id non censetur ab Ecclesia vetitum; hoc enim nimis esset durum, nec satis congruum indulgentiæ Apostoli, 1. ad Corinth. 7. *Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram:* quando ergo est periculum incontinentie, non est id prohibendum. Vnde etiam Ecclesia tunc non polluitur, vt rectè docet Castro supra, & alij; sicut nec cum sanguis licitè in sui vel rerum sacrarum defensionem effunditur, aut semen per pollutionem nocturnam; quia vbi nulla est culpa contra loci sanctitatem, nulla est violatio. Danda tamen est opera vt quàm occultissimè fiat, propter scandalum.

Si tamen nullum sit periculum incontinentie, non videtur licitum; quia in eo loco tenentur abstineri quantum commodè possunt. Vnde passim DD. requirunt vt actus ille sit necessarius ad vitandam incontinentiam. Hinc infert Toletus cum Siluestro, fore peccatum mortiferum, si sobolis vel delectationis causâ conueniant; quod intel-

intellige de petente: nam reddens facilius excusari potest, cum nesciat alterius dispositionem.

Contrarium tamen non videtur improbabile, quod docet Angelus v. Debitum, num. vlt. citans pro se Richardum & Alexandrum. hominibus enim plebeijs maior quaedam licentia est necessaria; vix enim possunt definire quando sit periculum sufficiens incontinentia, ad petendum. Deinde alter non potest scire an in petente sit reuera periculum, an fingat; nec petens id facile fatebitur, praeterea nisi interdum conveniant, facile incidunt in tale periculum. vnde Apostolus insinuat vt reuertantur in idipsum, ne in periculum incidant. Denique res illa satis est in praxi intricata & perplexa. Quare quando diu sunt conclusi, v.g. per 15. vel 20. dies, puto illos non solū liberē potestē reddere, sed etiam petere; idque non tantum in fine illius temporis, sed etiam in medio; imò etiam in principio, quando putatur conclusio tam diuturna futura: secus si paucorum dierum.

Adde, quosdam DD. existimare, copulam coniungalem in loco sacro si occultè fiat, etiam cum non sunt conclusi, non esse peculiare peccatum sacrilegij. quam sententiam satis videri probabilem affirmat Gabriel Vasquez 1. 2. disput. 98. c. 3. num. 6. Idem dicit de occulta effusione sanguinis. quia, inquit, secundum communem sententiam solū violatur locus sacer pollutione & sanguinis effusione notoria; ergo cum in his solū sit sacrilegium, quia locus sacer per hanc profanatur; solū erit peccatum sacrilegij, cum sunt notoria. Vnde sequitur, etiam fornicationem & pollutionem in loco sacro, si omnino occultè fiat, non fore sacrilegium mortiferum; vt expresse ibidem tradit. Eandem sententiam insinuat Sotus in 4. d. 3. 2. col. pænult. & Angles in Floribus de matrimonio, pag. 313.

Sed contraria sententia mihi probatur cum aliis DD. quia etsi occulto actu non ita polluitur locus sacer, vt teneamur eo abstinere; tamen reuera polluitur, id est, sanctitas eius violatur; adeo vt simulatque res in notitiam aut famam publicam venerit, egeat reconciliatione; vt colligitur c. Significasti, de adulteriis. Confirm. quia notitia hominum non polluit locum, sed factum praecedens, licet cum occultum esset, non teneamur tamquam à polluto loco abstinere. Simile est in peccato occulto, cui annexa excommunicatio. Hoc enim verè inducit excommunicationem, etiam si non teneamur illum vitare, nisi res deueniat in publicam hominum notitiam. Confirmatur, Quia Ecclesia ob reuerentiam loci sacri non solū tales actus ibi publicè fieri, sed absolutè ibi fieri vetuit. voluit enim immunitate talium operum loci sanctitatem honorari, quamuis ad vitandos scrupulos & molestias noluit expiationem esse necessariam, nisi res in publicum deueniret. Quamdiu enim res manet occulta, etsi quàm maximè contra sanctitatem & reuerentiam loci actum sit, tamen eius sanctitas non est lesa in mentibus hominum, vnde non eget reconciliatione, quæ propter hominum apprehensionem est introducta.

87 Petes, Vtrum si is, qui peccat luxuriæ peccato, sit sacerdos simul & Religiosus, committat duplex sacrilegium, alterum contra sanctitatem quæ est ex voto castitatis, alterum contra sanctitatem Ordinis? Videtur enim esse duplex, quia illæ rationes sunt specie diuersæ: aliter enim Religio-

sus ratione voti dicitur persona sacra, aliter ratione sacerdotij: ergo etiam erit diuersa obligatio vitandi actum venereum. Confirmatur, quia constitutio illa, qua Ecclesia ob honorem Ordinis sacri vetat illum actum, constituit illum in specie sacrilegij, & imponit obligationem Religionis: atqui hæc obligatio est specie diuersa ab ea, quæ inducitur per votum castitatis in Religione: sicut obligatio audiendi Sacri ex voto, & ex præcepto Ecclesiæ, est diuersa: ergo sicut hic est duplex sacrilegium, si Sacrum omittatur; ita ibi, si contra illam duplicem obligationem peccetur.

Ob hoc argumentum hæc sententia videtur mihi valde probabilis, & iuxta eam vtraque circumstantia distinctè in confessione explicanda.

Multi tamen recentiores tenent esse solū simplex sacrilegium: etsi altera circumstantia alteram non nihil iuuat ad augendum peccatum intra eandem speciem. Ratio est, Quia illæ obligationes sunt eiusdem rationis, vel potius non sunt nisi vna obligatio: sicut cum idem bis eidem diuersis occasionibus promittitur, si postea fides violetur, non est duplex iniustitia, aut duplex peccatum contra fidem, sed simplex: quia secunda promissio non inducit nouam obligationem promittenti, nec tribuit nouum ius promissario; cum omnis obligatio, & ius omne, quod tali actu induci potest, iam priori actu sit inductum; sed confertur idem quod antè, repetito eodem titulo. Simile est, cum idem bis donatur: secundus enim actus est inefficax respectu noui Iuris, cum iam totus effectus eius sit productus. Vnde sequitur, votum castitatis Ordini sacro annexum non inducere nouam obligationem distinctam ab ea, quam induxit professio Religionis; sed eandem per illud confirmatam, & veluti repetitam.

Hæc sententia est valde probabilis, si ponamus non esse peculiare præceptum Ecclesiæ, quo ordinati teneantur continere sine voto; sed totam obligationem esse ex voto, sacris Ordinibus constitutione Ecclesiæ annexo. Sed hæc pertinet ad disputationem de Ordinibus sacris.

Notandum, graues pœnas in sollicitatores & corruptores sacrarum virginum, & in eos qui consilium vel auxilium præbuerint, esse constitutas, vt patet 27. quæst. 1. cap. Si quis rapuerit: nimirum supplicium capitis, & bonorum priuationem Monasterio addicendorum. Acceptum est hoc caput ex Nouellis Iustiniani.

DUBITATIO XIII.

Quæ peccata luxuriæ dicantur esse contra naturam.

Dupliciter peccatum dicitur esse contra naturam. Primò, Generatim, quia est contra dictamen rationis naturalis: & hoc modo etiam fornicatio, incestus, adulterium, raptus & sacrilegium dicuntur esse contra naturam. Secundò, Strictè, quia est contra ordinem, quem natura etiam in ceteris animantibus requirit; seu quem natura illius actus postulat, vt possit sequi conceptus. Cum enim hic ordo ita peruertitur vt conceptio fieri nequeat, dicitur propriè peccatum contra naturam. Natura autem actus venerei, vt ex eo possit conceptio fieri proles eiusdem speciei, postulat quinque. Primò, Coniunctionem duorum. Secundò, Eandem in vtroque naturam.

Tertio,

Probabile est esse duplex sacrilegium.

Contrarium etiam probabile.

88

Pœna in sollicitatores & corruptores sacrarum virginum.

89

Dupliciter dicitur peccatum contra naturam.

Tertio, Sexum diuersum. Quarto, Organa, seu vasa congrua. Quinto, Debitum modum. Hinc fit vt quinque modis possit esse peccatum contra naturam in hac materia.

Quinque modis potest peccatum esse contra naturam.

Primo, Si quaratur voluptas carnalis per se corruptionem absque coniunctione. Hoc vocatur *mollities*, vel *pollutio*.

Secundo, Si quaratur in coniunctione cum re alterius naturæ; v. g. cum bruto, vel demone; quod rursus diuersis modis fieri potest; vt demone comparente in forma bruti (v. g. hirci) vel hominis, vel alicuius dei gentilium, Iouis, Martis, Saturni; vt olim quibusdam feminis. Item vel in vase naturali, vel contra naturam. Vnde possunt hic plures turpitudines ratione diuersarum circumstantiarum concurrere.

Tertio, Si in eodem sexu t vt si mas cum mare, femina cum femina. cum enim est idem sexus, coniunctio non solum repugnat naturæ generationis, ratione vasorum, seu organorum; sed etiam ratione personarum, quæ secundum se sunt prorsus ineptæ.

Quarto, Si in diuerso sexu eiusdem speciei, sed non in congruo vase, vel instrumento. Hi duo posteriores modi ad *sodomiam* pertinent, tertius tamen est grauior, & iuxta D. Thomam & Caietanum continet deformitatem alterius speciei, ratione circumstantiæ eiusdem sexus.

Si modus sit contra naturam.

Quinto, Si coniunctio quoad cetera sit naturalis, sed inordinatio fit in modo, (vt si auersè fiat, vel viro succumbente) ita vt non possit sequi generatio, nimirum quia genitura non potest recipi vel attrahi. eodem peruenit si vir de industria, in congressu, genituræ emissionem impediatur: vel ante illam factam se retrahat. est enim contra naturam generationis. secus tamen si mulier suscepta genituram se retrahat, modò id fiat absque periculo viri; vt supra dubit. 7. in fine dictum est. Si autem non sit tanta peruersio in modo, quin possit sequi conceptus, non erit per se peccatum mortiferum, neque dicetur peccatum contra naturam, sed præter naturam. Quòd si ratione constitutionis corporis coniuges non possint seruare modum vſitatum; non peccabunt vtendo altero; modò fieri possit conceptio, genituram in matricem attracta: quia tunc iste modus non erit incongruus, sed conueniens illorum dispositioni. Imò etiam si possent facile vſitatum modum seruare, non erit culpa mortifera in peruersione modi, si conceptio fieri possit. Ita multi DD. D. Antoninus 3. p. tit. 1. c. 20. §. 3. vbi pro hac sententia citat Albertum Magnum, qui in 4. dist. 31. dicit, *nihil eorum que faciunt maritus cum vxore seruato debito vase, esse de se peccatum mortiferum.* Angelus v. Debitum, n. 24. Siluest. v. Debitum, n. 7. Caiet. q. 154. a. 1. §. ad 2. de modo. Nauarrus cap. 16. n. 41. Omnes tamen iudicant esse valde reprehensibile, & culpam venialem; cum etiam beſtiæ naturalem modum seruent. vnde credo vxorem non teneri reddere sic petenti: quia non tenetur quouis modo soluere debitum, sicut nec alius cuius debitor, sed modo congruo & rationabili. Neque Caietanus loco citato contrarium docet, vt quidam volunt. cum enim dicit vxorem esse ad omnem modum, ex quo potest sequi generatio; solum vult dicere, talem modum non egredi limites vſus matrimonialis, & solutionis debiti. Inde tamen non sequitur, vxorem ad talem modum

posse cogi; nisi subſit rationabilis causa, vt cum aliter commode fieri nequit.

Notandum est, supra dictos modos specie distinctam turpitudinem repugnantem castitati, vt ex dictis colligitur: cui turpitudini coniungi possunt alia deformitates, quibus constituuntur species luxuriæ naturalis; nempe *adulterium*, *stuprum*, *raptus*, *incestus*, *sacrilegium*, vt bene declarat Caietanus. si enim vxor alterius cognoscatur in vase non naturali, erit non solum peccatum sodomie, sed etiam adulterij; quia per luxuriam fit iniuria toro coniugali, quamuis non propriè dicatur adulterium, eò quòd hoc nomen violationem tori per luxuriam naturalem denotet. continet tamen similem iniuriam, etsi non parem, secundum Caietanum; quia proprium vas conjugale non violatur. Idem dicendum proportionem in *raptu*, *stupro*, & *incestu*: nam circumstantia personæ, & vis illata talem malitiam addent luxuriæ contra naturam, qualem naturali; etsi non omnino parem; & nomina illa non soleant tribui nisi naturali. Similiter in *sacrilegio*: nisi quòd hoc nomen æquè propriè dicitur de luxuria contra naturam, si per eam locus sacer, vel persona Deo dicata violetur, atque de naturali.

Quòd autem omnes istæ species sint peccata mortifera, est communis sententia DD. & colligitur manifestè ex Scripturis, nam de tertia & quarta specie, quæ sodomia dicitur, multa habentur Leuitici 18. & 20. & constituitur illi pœna mortis: & Apostolus ad Romanos 1. valde exaggerat grauitatem istius peccati; docetque Deum permisisse gentiliū Sapientes in tantam turpitudinem & ignominiam labi, in pœnam idololatriæ. ad Gal. 5. *Opera carnis sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, &c. que prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* vbi sub *immunditia* hoc peccatum comprehenditur; nam ita vocat illud ad Rom. 1. Similia de *immundis* habet ad Ephes. 5. Idem patet ex vinctis qua Deus olim hoc peccatum persecutus est igne sulphureo in pentapolim cælitus immisso, & oppidis illis cum omnibus habitatoribus suis momento deletis, Genes. 19. In historiis Peruanis legimus, nationem quamdam robustam, & giganteæ staturæ, ob idem flagitium, simili ferè modo deletam; immisso de cælo iuvene quodam instar solis splendido, qui fulminibus in eos vibratis omnes exussit; & huius facti multa adhuc extare vestigia. Hinc passim receptum apud Christianos vt hoc crimen flammis expietur. & iam olim à temporibus Constantini, vel Constantij, morte plecti consuevit; vt patet C. Ad legem Iuliam de adul. leg. 31. *Cum vir nubet in feminam viris porrecturam, quid cupiatur, vbi sexus perdidit locum? vbi scelus est id quòd non proficit scire? vbi venus mutatur in alteram formam? vbi amor queritur, nec videtur? inuenimus in surgere leges, armari fura gladio vltore; vt exquisitis panis subdantur infames, qui sunt, vel qui futuri sunt rei.* Imò non ita multo post edita est constitutio ab Imperatoribus qua plectuntur pœna ignis, vt cõstat ex C. Theodiano lib. 9. tit. 7. vbi sic habetur: *Imperatores Valentinianus, Theodosius & Arcadius A. A. A. Orontio Picario urbis Rom. Omnes, quibus flagitij vſus est, virile corpus muliebriter constitutum alieni sexus damnare patientia. (nihil enim discretum videri*

90
Distin-
guuntur
specie.

91
Est pecca-
ta mortife-
ra.

92
Vltio dicitur
na in sodomia.

ter habere cum feminis) huiusmodi scelus spectante populo flamme vindices experiunt.

Eidem flagitio iure communi constituta est iplo facto confiscatio bonorum, iuxta Glossam in cap. Cum secundum 19. v. Natura contrarias. de heret. in 6. quam communiter à DD. approbati ait Bermon. de concubitu, fol. 123. num. 27. Denique est sufficiens causa diuortij perpetui, sicut adulterium, cap. 7. Omnes cautiones. 32. q. 7. ellque communis sententia DD. idque siue agendo siue patiendo commissum sit, quia violatur fides matrimonij, per quam coniunx coniugi totum corpus suum tenetur castum seruare; ita saltem vt illud alteri aliquo genere concubitus non misceat, nec carnem suam in alterum diuidat.

Ex quibus patet, etiam secundam speciem, quæ duas infra se comprehendit, concubitus cum bruto, & cum demone, esse peccatum mortiferum; quia hæc sunt grauiora, quam sodomia; cum diuersitas speciei magis repugnet illi congressui. Complectitur ista Apostolus generali nomine immunditia vel luxuria. Concubitus cum bruto prohibetur expressè Leuit. 18. & 20. sub pena mortis, & iubetur quoque brutum interfici: quod etiamnum vsu receptum apud Christianos.

De quinta specie est etiam communis DD. sententia; quia iste modus repugnat conceptui, & naturæ generationis: vnde non est minus peccatum, quam pollutio. Confirmatur ex Scriptura Genes. 38. vbi Dominus ob simile peccatum puniuit mortè Onam filium Iudæ: quamuis ibi aliud quoque crimen accesserit, nimirum inuidia in fratrem, ne illi nasceretur semen.

De mollitie dicemus dubitatione sequenti.

92
Quod ex his sit grauissimum.

Ex his facile potest intelligi quis sit ordo inter hæc peccata: nam grauissimum est congressus cum demone: tum quia cum sit spiritus, longissimè abest à debita proportione, quæ requiritur inter ingredientes; tum propter commercium & societatem cum iplo, quæ est contra virtutem religionis. Deinde bestia alitatis. Tertio, Sodomia cum eodem sexu. Quarto, Cum diuerso sexu. Quinto, Quando modus est contra naturam. Sexto, Pollutio simplex.

93
Porro omnes hæc species sunt peiores quam reliquæ supradictæ, si considerentur qua parte sunt contra castitatem: non autem si spectentur absolute vt inuoluunt maliciam alterius speciei, contra iustitiam, pietatem vel Religionem: simplex enim pollutio, vel inordinatus concubitus cum vxore, non est absolute maius peccatum, quam concubitus cum matre, vel cum moniali: est tamen maius in ratione luxuria; quia per se magis est contra naturam generationis; cum ista non sint contra naturam illius actus, sed solum contra conuenientem ordinem requisitum ad prolis educationem, & contra alias virtutes. Hoc modo intellige DD. qui omnia peccata contra naturam videntur ceteris facere maiora. Alia tamen ratione in istis videri possit esse maior luxuria, nimirum ex parte affectus: qui enim voluptatis causâ paratus est adulterium & incestum admittere, non abstinabit etiam à sui pollutione. pronitas quoque & facilitas ad pollutionem non nihil minuit in ea luxuria culpam.

DUBITATIO XIV.

Quale peccatum sit pollutio voluntaria, & quibus euentis possit excusari.

R Espondeo, Eam, si plenè voluntaria sit, esse peccatum mortiferum: si autem non sit plenè voluntaria, solum veniale, vel nullum. Est communis sententia Doctorum.

94
Pollutio est peccatum mortiferum.

Probat prior pars ex Scripturis; 1. ad Cor. 6. Nolite errare: Neque fornicari, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, &c. regnum Dei possidebunt. Vbi DD. passim per molles intelligunt huic peccato deditos; quod etiam inde vocant mollitiem. Verùm Græci per molles (μαλακοί) intelligunt pathicos, seu turpia patientes, quibus respondent masculorum concubitores (ἀρσενικοί). Neque vsquam alibi in Scriptura hoc nomen pro crimine libidinis ponitur. nihilominus satis probabile est etiam istud peccatum significari: nam est signum peculiare mollitiei animi. Deinde probari potest ex iis locis, vbi immunditia damnatur, vt ad Gal. 5. & ad Ephes. 5. nam hoc nomine omnes anonymæ libidines significantur, vt D. Hieronymus notat: & alioquin est quoque specialis quædam impuritas in hoc actu.

Denique ratione probatur, quia iste actus est contra primarium finem, ob quem à natura est institutus; qui est generatio, vel conceptio hominis. vnde caret principali ordine, & habitudine quam natura in eo requirit: ac proinde grauem inordinationem continet. Confirmatur, quia si fornicatio est peccatum mortiferum, quæ tamen solum caret debito ordine ad prolis educationem; multo magis hic actus, qui repugnat conceptioni.

Hinc patet, mulierem non admittere hoc peccatum, aut aliud præsertim mortiferum, quando in actu coniugali, suscepto virili spermate, ipsa non feminauit, si immediatè post ad hoc se concitaret: quia id nullo modo est contra naturam generationis, sed illi maximè consentaneum. Est enim complementum actus coniugalis, & multum iuuat ad perfectionem prolis, vt Medici tradunt. Confirmatur, Quia alioquin grauissimo periculo peccati mortalis femina per actum coniugalem exponeretur. Sæpè enim fit vt vel ratione tardioris naturæ, vel quia voluptatem paruam sentiunt, in actu illo non feminent, & tamen inde maneat plurimum incitæ: ita Sancius lib. 9. de matrim. disp. 17. & aliqui alij Doctores.

Potest autem hic actus dupliciter esse voluntarius. Primo, Per se. Secundo, In causa. Per se, vt cum directè est volutus & procuratus. Dico, & procuratus: quia vt actus dicatur voluntarius, non sufficit esse volutus, sed etiam requiritur vt ab illa voluntate procedat. Hoc modo est peccatum mortiferum, etsi non voluptatis, sed solius sanitatis, vel tentationis mitigandæ causâ procuraretur, vt communiter DD. tradunt. Confirmatur, Si causâ quod enim tentationis causâ non liceat, patet; tum quia sic non vincitur tentatio, sed ei ceditur & succumbitur; tum quia si id licitum est, cur Sancti tantam incediam & alias asperitates carnis domandæ causa subierunt? cur hoc certamen durissimum & præcipuum hominis Christiani à sanctis Patribus est habitum? tum denique, quia si quis

95
Dupliciter est voluntarius. 1. Per se.

Si causâ sanitatis vel molitiei carnis mitigandæ.

si quis aliis praesidiis uti nolit, hoc opus concessum est quidem in remedium concupiscentiae; sed in legitimo coniugio, non extra. non enim naturalis institutio pervertenda est ob finem extrinsecum & accidentarium. Vnde si quis hoc opere in hunc finem uti velit, debet capessere matrimonium. Confirmatur, quia finis primarius illius operis est proles: ac proinde postulat eum statum in quo proles suscipi & recte educari possit, qui est matrimonium.

Ob eandem causam non est etiam licitus fanitatis ergo, nisi in legitimo coniugio.

*Licitum
emittere
sanguinem,
non est se-
men.*

Nec obstat, quod fas sit detrahere sanguinem ob hunc finem, & etiam secare membrum; quia haec solum sunt instituta propter bonum individui: partes enim sunt propter bonum totius: vnde de illis disponere possumus prout expedit saluti individui. genitura autem solum propter naturae propagationem: vnde illa uti non possumus, nisi eo modo ut possit sequi generatio.

*96
Obiectio.*

Dices, Ipsa vasa spermatica sunt instituta ad propagationem, tamen propter salutem corporis possunt excindi, vel intercepti: cur non etiam emitti quod illis continetur, si corporis salutem officere incipiat.

Resp.

Respondeo, Est dispar ratio: quia illa vasa etiam sunt pars corporis: vnde de illis, sicut de aliis partibus statuere possumus: at semen non est pars corporis, nec propter illius bonum est institutum, sed solum causa, tanquam eius rudimentum. Deinde etsi forte semen in illo casu detrahi posset medicamento cathartico, (si tamen eo modo, quo bilis, pituita, & melancholia absque libidinis sensu subditi potest, quod ego non puto) tamen non potest pelli eo actu & impetu; quem natura fecit illi proprium: quia hic solius sobolis causa institutus est: vnde nec a Medicis praescribi pharmacum eo fine ut naturam ad illum impetum concitet.

*97
2. In causa.*

In causa voluntarius est, quando praevideatur ex aliqua causa secuturus; & illam idcirco tenemur vitare, nec tamen vitamus.

*Ut peccatum sit voluntarium in causa, tria requiruntur:
1. Ut sit praesens.*

Vbi advertit, tria requiri ut aliquod peccatum sit voluntarium in causa. Primum, ut aliquo modo praesens sit illud secuturus: quod enim nullo modo est cognitum, non potest censeris voluntarium, seu liberum; ac proinde nec potest imputari: atqui hic non esse praesens, est non esse cognitum: agitur enim de effectu secuturo ex aliqua causa, qui non cognoscitur nisi praevidendo. Itaque etiam si causa sit culpabilis; si tamen nullo modo suspicabaris inde talem effectum secuturum, non imputabitur tibi ad culpam, quia non erit voluntarius. etsi enim erat in tua potestate vitare causam & non vitare, & consequenter pecces in ea quantum ipsa secundum se peccatum est; non tamen erat in tua potestate illam vitare ut est causa talis effectus; quia sic non erat tibi cognita.

*98
2. Ut causam tenearis vitare.*

Secundo, ut causam, propter illum effectum, tenearis vitare. si enim causam vitare non teneris, iam effectus ille non potest tibi imputari ad culpam; vnde non censetur tibi voluntarius, sed solum permissus maioris boni causa.

Quando non tenearis vitare.

Non teneor causam vitare, quando ipsa secundum se est licita, praesertim si sit consentanea officio vel pietati, vel habeat notabilem commoditatem, vel finem honestum. Sic DD. passim tradunt, confessarium non teneri vitare suam fun-

ctionem, nec studiosum sua studia, etiam si inde tale quid patiantur: de quo vide Nauarrum cap. 16. num. 7. ubi idem docet de veredario, cui id ex equitatione obvenire solebat; & alibi de Medicis, chirurgis, & aliis, qui infirmos tractant. Et merito; quia haec omnia non sunt ex natura rei dispositiones ad illum effectum, sicut nec ad turpem vili motum; sed solum ex miseria naturae, per peccatum originale contracta, quae non est culpa, sed poena; cui interdum accidit peculiare corporis temperamentum, vel prava consuetudo olim contracta, eodem iuvans. Itaque hic effectus plane per accidens se habet ad illam causam, sicut defectus proveniens ex conditione materiae, ad operationem artificis in ea materia operantis, v.g. ut rubigo obueniens cultro ad intentionem & actionem cultrarii; ut recte dixit Caietanus Opusc. 22. Vnde sicut artifex non debet relinquere opus ob defectum, quem contrahet ex necessitate materiae; ita nec homo tenetur honestas actiones vitare ob turpem motum, vel pollutionem ex conditione naturae corruptae, illarum occasione obvenientem.

Hoc tamen intelligendum, si absit morale periculum consensus: ut cum quis se satis firmum credit ut huiusmodi illecebra non sit voluntas rationalis permouenda. Si absit morale periculum, ita ut non confidat se fore satis firmum, tenetur causam vitare; non enim ob vili rem potest se formali periculo peccandi exponere, iuxta illud Ecclesiastici 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.*

Petes, Quid si ob alium finem teneat vitare causam, & non vitem; censetur tunc pollutio inde secuta voluntaria & mortifera? Exemplum sit in esu copioso bulborum, vel aliorum ciborum calidorum & flatulentorum, & in largiore potu vini affectu gulae: in studio rerum medicarum, vel anatomicorum, ex affectu curiosae cognitionis.

Videri possit hoc casu non esse voluntaria, etiam si putetur secutura. Primum, Quia illa causa ut sic sunt, non sunt naturae sua dispositiones propinqua aut remota ad illam; sed solum per accidens ex naturae imbecillitate, vel peculiari temperamento: non enim sunt eo modo, vel eo fine, quo ad venerem fieri solent: vnde motus, qui inde sequuntur, potius veluti necessitate materiae, quam ex illis causis sequuntur: ergo non eo ipso, quo quis illas vult, censetur velle istum effectum.

Secundo, Si illae actiones per se essent licitae, non essent vitandae ob effectum illum eventurum, eo quod per accidens sequi censetur: atqui non minus per accidens sequitur, dum illae ponuntur ob causam alterius generis illicitae; cum illarum deformitas non repugnet castitati, & plane per accidens se ad hunc effectum habeat: ergo etiam si sint vitandae ob propriam malitiam, non tamen ob illum effectum.

Respondeo breviter, In hoc eventu pollutionem censeris aliquo modo voluntariam, nimirum in sua causa, etsi remota, ac proinde in illa esse peccatum. quod non tantum verum esse puto quando causa ex alio capite est illicita; sed etiam quando est honesta, & sine vilo incommodo omitti vel differri potest. Ratio est, quia etsi ille effectus non sit ita per se malus ut adulterium, homicidium, furtum; tamen habet in decentiam, & mentem ad malum allicit: ergo quantum commode possu-

Si absit periculum consensus.

*99
Si causa aliunde sit illicita.*

*100
Effectus censetur aliquo modo voluntarius.*

possumus, vitare tenemur: atqui in presenti casu possumus sine notabili incommodo causam vitare: ergo, &c. quod confirmatur communi sensu & vsu omnium castitatem amantium, qui semper ab eo multum abhorrent.

Non videri mortiferum.

Crediderim tamen ex hac parte non esse peccatum mortiferum in causa, nisi ipsa ex intentione eò dirigatur, vel nisi per se sit propinqua dispositio; vt contactus turpis. quod aperte docet Nauarrus cap. 16. n. 8. vbi dicit, non esse peccatum mortale, comedere nimis, aut edulia calida, vnde pollutio euenit; dummodò non comedat eo fine vt eueniat, sed vt suae gulae satisfaciat. Idem ante illum iisdem pàrè verbis docuit D. Antoninus p. 2. tit. 6. cap. 5. Angelus v. Pollutio, num. 2. Siluester, eodem verbo. Idem tenet Toletus lib. 5. c. 13. Lopez p. 1. cap. 74. & alij multi. Et quamuis aliqui ex his DD. requirant vt dubium sit an ille effectus sequetur an non, vt Angelus, Siluester, Toletus; alij tamen id non requirunt: vnde Lopez supponit illum solitum ex tali causa sequi. Idem indicat Nauarrus, & merito: si enim in causa est peccatum mortale, dum valde probabile est talem effectum secuturum; etiam erit dum est dubium; vt patet in periculo homicidij, vel adulterij: quia sicut non licet se exponere periculo manifesto, ita nec dubio, in quo non potest hic & nunc prudenter confidere se vitaturum incommodum.

101

Ratio cur non videatur mortiferum, est, quia illa causa non est propinqua dispositio, sed remota ex natura rei; & effectus ex illa per accidens & prater intentionem prouenit, nimirum ratione dispositionis corporis, & veluti necessitate materiae: vnde valde imperfectè censetur volitus in causa. Deinde, quia effectum illum hoc modo prouenire veluti necessitate materiae absque vlla intentione vel dispositione ad illam directam, non censetur graue incommodum; imò per se non est obiectiue malum, etsi ad malum incitet, vt statim dicitur: ergo nec permittere, vel non impedire ne sic eueniat, non censetur grauis culpa. Confirmatur, Quia si id per se esset malum, non liceret, etiam dum causa esset honesta, permittere; sicut non licet in se permittere homicidium, vel adulterium; & si timeas tale quid à te committendum in somnis, teneris omni ratione euitare: secus tamen in hoc effectu. Ratio huius discriminis est, quia hic effectus prouenit necessitate materiae, vt dictum est: nam in natura est causa ad illum sufficiens absque vlla cooperatione voluntatis: & aliàs etiam habet sua commoda, ob quae natura scè est instituta. Homicidium verò, adulterium, & similia, non habent similem causam in natura, nec similia commoda: quamuis etiam hæc ob grande aliquod bonum permitti aliquando possint, vt infra dicitur.

102
3. Vt non vitetur.
Causa positua.

Prinatuua.

Tertium, quod requiritur ad voluntarium in causa, est vt causa non vitetur. Hæc causa potest esse vel positua, vel priuatiua. *Positua*, vt cum quis liberè vacat alicui actioni, v. g. cogitationi vel operi, ex quo sequitur talis naturæ concitatio. *Prinatuua*, cum prater voluntatem incidit vehemens imaginatio naturam incitans, quam neque fouet, neque conatur diuertere; sed negatiue se habet. In priore modo tenetur abstinere ab illa actione: & si in illa pergat, effectus secutus censetur in illa volitus & voluntarius: volitio enim, qua vult continuare istam actionem cum tali pe-

riculo, virtute est etiam volitio effectus; & eo ipso, quo illa actio ab ista volitione procedit, censetur effectus, vt in causa existens, voluntariè fieri.

Vbi ad clariorem horum omnium intelligentiam aduerte, Si actio illa, seu causa sit per se propinqua dispositio ad pollutionem (qualis est contactus & aspectus partium inhonestarum, &c.) tenemur illam ratione pollutionis sub peccato mortali vitare, nisi aliqua necessitas ad illam actionem nos cogat. Ratio est, quia eiusdem moris est, per se loquendo, consentire in effectum & in causam eius propinquam, quando tamen subest alia iusta causa illius actionis, tunc effectus ille non censetur volitus, sed solum permissus, vt pote prater intentionem obueniens. Confirmatur in proposito: nam contactus ille non mouet nisi vt apprehensus à phantasia, sed apprehensus à phantasia, v. g. vt medium necessarium ad curandum, non habet vim concitandi libidinem. quòd si cum ea apprehensione simul subrepat alia vt rei delectabilis, eaque moueat; id per accidens est, ex miseria naturæ, & prater intentionem agentis; non ex natura obiecti sub ratione medij ad sanitatem considerati. vnde ob talem effectum non tenemur nos eo commodo priuare. Dicitur autem per se dispositio seu causa propinqua; quia quando secundum se, non vt medium ad alium finem apprehenditur, talis est.

Remota.

Si verò causa illa sit dispositio remota, non tenemur illam ratione huius effectus sub peccato mortali vitare; etiamsi fortè ob aliam causam vitare teneamur. Tales sunt omnes actiones, quæ per se ad luxuriam non pertinent, vt nimium, aut nimis calida comedere, bibere; nimium dormire, equitare. Idem dicendum quando actio illa per se pertinet quidem ad luxuriam; tamen non est nisi peccatum veniale, vel ratione tenuitatis materiae, vel ratione semiplenæ attentionis; vt rectè Caiet. 2. 2. q. 64. art. 8. vbi dicit: *Actus materialiter mortalis, quando non est voluntarius nisi indirectè & in causa, iudicandus est secundum illam causam: & ideo effusionem seminis humani extra matrimonij actum posse esse solum veniale definitum est, quando actus in causa solum fuit peccatum veniale; vt patet in pollutione nocturna ex delectatione veniali per diem habitata consequente.* Emanuel Sa v. Luxuria num. 9. *Si pollutionis inuoluntaria causa, que vitari debuit, est peccatum veniale solum, vt ad spectus curiosus femine, aut lectio turpis; & ipsa solum venialis est, etiamsi quis prouiderit inde secururam, sed contra voluntatem.* Idem expressè docet Henriquez lib. 1. de matrim. cap. 16. num. 6. & fusè Sancius lib. 9. de matrim. disp. 45. num. 19. & DD. qui culpam pollutionis non intencat, ex causa metiendam tradunt. vt Sotus in 4. d. 12. q. 1. art. 7. Ledesma in 4. p. 1. q. 21. a. 1. D. Thomas 3. p. q. 80. a. 7. Nauarrus supra, & alij: quod intellige, si causa ad genus luxuriam pertinet. Si enim non pertinet ad genus luxuriam, fieri potest, vt causa (ratione alterius deformitatis) sit peccatum mortale; & pollutio sit solum venialis; eò quòd illam causam ratione pollutionis non teneamur nisi sub veniali vitare, cum sit causa remota, & per accidens, vt supra dictum est.

In altero modo cum causa est priuatiua, nempe negligentia amoliendi causam posituiam inuoluntariam, v. g. turpem cogitationem, tenetur homo illam apprehensionem excutere, mentemque aliò transferre quantum potest: quòd si omittat, illa

omissio erit causa voluntaria effectus. sicut negligentia nauarchi est causa submerisionis nauis. quae quidem in genere physico est causa per accidens; tamen in moralibus censetur quasi per se, quia subest intentio interpretatiua.

Hic tamen aduerte, Si opus illud, vnde praeter intentionem oritur illa imaginatio turpis, sit licitum, non teneris illud ad eam vitandam praetermittere, modò ablit periculum consensus; vt ex supradictis constat. Si autem non sit licitum, teneris illud omittre etiam propter illum effectum per accidens prouenientem, non tamen sub mortali (nisi opus sit mortale, & secundum se ad luxuriam perueniens) sed sub veniali; vt cum opus per se ad luxuriam non pertinet, vel, si pertinet, solum est veniale, iuxta supradicta. Non enim magis teneris vitare talem imaginationem, quam pollutionem; cum illa solum sit medium & via, haec verò finis & terminus. Vnde sicuti istas actiones non tenetur sub peccato mortali vitare ob periculum pollutionis praeter intentionem securitatis; ita nec propter imaginationem & voluptatem inde praeter intentionem consurgentem; seposito tamen in omnibus periculo consensus.

Si opere non intermisso posses depellere.

Si tamen alia ratione, opere priorè non intermisso, facile potes huiusmodi imaginationem & voluptatem partis sensitivae depellere, teneris, & quidem sub peccato mortali. Vnde non potes tunc habere te negatiuè, id est, medio modo absque consensu & positiua displicentia. Ratio est, quia non depellendo cum commodè potes, interpretatiuè in eam consentis. quare cum obiectum per se sit graue, erit peccatum mortiferum. Neque hic est consensus dumtaxat in causam, sicut cum causa non amouetur, sed est consensus immediatus in ipsam delectationem: quia etiam manente causa, facile potes eam tollere, vel impedire.

An negatiuè se habere possit.

Idem dicendum de pollutione. Vtrum autem quando tolli non potest nisi amotione causae, & causam non tenemur tollere sub peccato mortali, eò quòd sit causa remota, aut per accidens, possumus nos negatiuè circa illam delectationem habere, ita vt per hoc non peccetur nouo peccato, aut saltem non mortaliter, dubitari potest.

Resp. breuiter, Non fore peccatum mortale, si ablit periculum consensus. Ratio est, quia tunc negatiuè se habere, non est vllò modo consentire nisi in causa, quem consensum ponimus ex dictis non esse mortiferum. Confirmatur, Quia non potest depelli nisi amotione causae, vt supponitur; ergo non teneor conari illam aliter depellere. non enim teneor conari quod mihi mortaliter impossibile; ergo neque teneor positiuam illius habere displicentiam. Haec enim erit inefficax ad depellendum, & ex alia parte minimè est necessaria ad impediendum consensum. In praxi tamen, quia magna est hominis fragilitas, & facile durare diu delectatione trahitur in consensum, vitanda est haec subtilitas, & excitanda quam primùm delectatio illius voluptatis.

103
Altera pars assertionis.

Altera pars assertionis initio positae, nimirum Pollutionem non esse peccatum mortale, quando non est plenè voluntaria, est etiam certa & communis DD. id enim commune est omnibus peccatis. Potest autem id fieri dupliciter.

Dupliciter non plenè voluntaria.

Primò, Si nullo modo aduertat, ex actione in qua versaris, (siue ea sit externa, siue cogitatio) periculum illius impendere; vel illam actionem

ratione periculi esse illicitam, & tunc si sequatur, nullum omnino erit peccatum: quia quod non est cognitum, non est voluntarium, vt ante dictum est. Hoc maximè locum habet in ea, quae fit in somnis ex cibo, potu, vel cogitationibus prauijs in vigilia. Interdum etiam in ea, quae accidit vigilantibus; praesertim antequam ille habeat rerum suarum experientiam.

Secundò, Si aliquo modo aduertat periculum, & actionem idcirco esse illicitam; tamen confusè & imperfectè, animo ad alia intento: & tunc est quidem peccatum, sed veniale: imperfecta enim consideratio facit vt res vel obligatio non appareat grauis.

Duobus enim modis fit vt res non offerat se tamquam grauis. Primò, ratione ignorantiae, quae grauitatem ita occultat, vt etiam si mens plenè attendat, non tamen aduertat. Secundò, Ratione imperfectae considerationis, seu attentionis animi: dum enim imperfectè & obiter, & quasi euiusmodi aliquid videtur, eius magnitudo non percipitur.

Potest haec imperfectio esse vel in consideratione periculi; vt cum parum apprehenditur periculum euentus: vel in apprehensione illiciti in actione; vt cum parum consideratur, actionem, ex qua periculum, esse ob hanc causam illicitam; quod interdum accidit inexpertis. Vtriusque modò fiat, effectus non erit nisi venialis; quia effectus non habet vllam culpam nisi in causa, cum in illa solum sit voluntarius; at causa hic solum est peccatum veniale: ergo, &c. Potest tamen effectus interdum imputari vt veniale, quamuis causa sit mortifera: quamuis tunc haec culpa in causa, proueniat non ex ordine causae ad illum effectum, sed aliunde, nimirum ratione materiae vel finis, aut alterius circumstantiae; vt constat ex iis, quae de admissis in ebrietate dicta sunt supra dubitat. 3. num. 26.

Tertiò, Si solum sit voluntarium in causa remota; quo casu est imperfectè voluntarium, & potius permittum quam volitum. quia tamen tenemur (etsi imperfecta obligatione) causam vitare, propter periculum talis effectus, idèd si non vitetur causa, censetur effectus aliquo modo voluntarius in causa, vt supra explicuimus. Notandum tamen, cum effectus ille non sit secundum se voluntarius (cum enim fit, non pendet vllò modo à voluntate libera) solum censetur voluntarius in causa; quatenus continetur in causa, quae à libera voluntate dependet. Vnde sequitur Primò, Esse valde imperfectè voluntariam: quia in causa illa valde imperfectè continetur, ac proinde consensus in causam valde imperfectè ad illum effectum extenditur; & ratione huius imperfecti consensus dicitur peccatum veniale, cum tamen ipsa causa ex ordine ad talem effectum potius sit dicenda peccatum veniale.

Sequitur Secundò, Totam culpam esse in consensu in causam, ita vt effectus superueniens nihil culpa addat. vbi enim non est noua libertas, ibi non potest esse noua culpa: atqui tota libertas hic est in consensu in causam.

Sequitur Tertiò, illam pollutionem non posse dici propriè peccatum, quia non pendet à voluntate libera vt actio, sed vt effectus: vnde non constituit vnum opus morale cum interna voluntate à qua proficitur, sicut consensus internus & opus externum; sed solum est effectus quidam per acci-

accidens operis moralis; & dicitur peccatum, quia est effectus peccati, & obiectum aliquo modo volitum. vnde propriè dicitur peccatum in causa tantum, in se verò peccati effectus, vt docet D. Thomas q. 154. art. 5.

104
An licitum
desiderare,
nerit, gaudere.

Petes, Vtrum licitum sit aliquando desiderare vt tibi vel alteri eueniat pollutio, vel quòd eue-
gandere.

Quidam negant. Ita Sotus in 4. d. 12. quæst. 1. art. 7. & Lopez supra cap. 74. putat hanc sententiam esse probabiliorè, citans pro ea Cordubam, Adrianum & Medinam. sed Adrianum aliter sentire constabit infra.

Probatur Primò, Quòd licet desiderare, fas etiam est procurare vt fiat, saltem per alios: atqui nullo modo possumus procurare vt fiat pollutio: ergo non licet eam desiderare. Secundò, Id quod per se est illicitum, non potest desiderari propter bonum finem, vt patet in adulterio, mendacio, homicidio: sed pollutio per se est illicita: ergo. Tertio, Quando id quod per se malum est, ita fit per somnum, furiam, vel ignorantiam, vt excusamur à culpa, non est licitum in illud consentire, aut de eo postea gaudere, vt passim Doctores tradunt, & patet in aliis peccatis: ergo.

Contraria tamen sententia videtur verior; pro qua

Dico Primò, Causa voluptatis nullo modo licitum est illam desiderare, aut de ea iam facta gaudere, etiam si sine culpa acciderit: consensus enim in illam delectationem, secundum omnes Doctores, est peccatum mortale.

Non est fas
ad eam in-
nuare.

Dico Secundò, Nullo etiam modo fas est illam procurare, aut aliquo modo ad illam iuuare, aut aliquid eo sine vt eueniat, facere. patet ex dictis: Vnde medicus non potest aliquid eo sine præscribere, aut infirmo suadere: nec vlla ratione potest quis eam ita sibi desiderare, vt ex vi illius desiderij disponatur aut incitetur ad illam. vnde debet hoc desiderium esse omnino inefficax: sicut eam rerum, quæ nec ipsæ sunt in nostra potestate, nec vlla ad eas dispositio.

105
Potest desi-
derari sim-
plici affe-
ctu.

Dico Tertio, Probabile est, licitum esse illam desiderare simplici affectu, causa alicuius boni effectus cum ea coniuncti, verbi gratia, causa san-
nitatis, sedandæ tentationis, obrinendæ tranquillitatis animi, &c. Ita docet Nauarrus cap. 16. num. 7. Toletus lib. 5. cap. 13. Angelus v. Pollutio, num. 2. D. Antoninus par. 2. tit. 6. cap. 5. Adrianus in quarto, tractatu de Eucharist. quæst. de consensu in opus prauum in furia vel somno committendum, sub finem, & alij. Ratio est, quia id quod hic desideratur, non est peccatum, sed per se indifferens: desideratur enim vt fiat via naturali per causas à natura constitutas, sine omni libera cooperatione: & finis, ob quem desideratur, est bonus & verè optabilis: ergo in tali desiderio nullo est peccatum. Ego tamen huiusmodi desideria admitti, cuiusmodi non sum auctor: tum quia etià per se mala non sunt, tamen imperfectum indicant castitatis affectum: tum quia sanctiora remedia, & à sanctis viris usurpata non desunt. idem dixerim de gaudio, de quo in 4. asserto. cauenda quoque in omnibus huiusmodi, vt iam sæpè monuimus, omnis cooperatio, & periculum consensus.

Gaudere
de facta.

Dico Quarto, Simili modo licitum gaudere

de illa iam facta: docent iidem Doctores, & Paludanus in 4. dist. 9. q. 3. art. 1. (qui tamen non admittit de desiderio) & D. Thomas ibidem a. 4. ad quintum. Probatur, quia quod licitum est desiderare vt fiat, licitum etiam est de eo gaudere quòd factum sit: & contra, si fas gaudere de facto, etiam licitum desiderare vt fiat, hæc enim sunt eiusdem moris; nam gaudium necessariò resultat ex bono desiderato obtento, & supponit, vel implicite desiderium includit. Confirmatur, quia obiectum materiale huius gaudij non est malum, & formale est bonum: ergo gaudium de eo conceptum non est malum. Neque solum licitum est gaudere de ipso effectu bono, vt quidam volunt; v. g. quòd molestia illa seu tentatio cesseret; (quamuis hic sit ratio formalis obiectiua, seu totum motuum desiderij & gaudij, consideratus cum conditione futuri vel præteriti) sed etiam de ipsa causa propter effectum: sicut gaudemus non solum de tranquillitate publica, sed etiam de morte illius qui eam turbabat, & de facto illius qui eam intulit, si innocenter fecit: etià tota ratio gaudendi sit bonum publicum.

Quod vt melius intelligatur, notandum est, Obiectum gaudij (sicut & desiderij, & aliarum affectionum voluntatis) esse quid complexum; includit enim coniunctionem boni & remotionem mali. Gaudemus enim quòd illa res sit, vel non sit, sit talis, aut non talis; quòd mihi vel alteri inlit, vel quòd ablit; quòd aliquid efficiat, vel non efficiat, &c. Itaque cum quis dicitur gaudere de opere malo quatenus illud est causa boni, dupliciter potest intelligi. Primò, quòd ob bonum effectum gaudeat illud opus esse, vel fuisse, vel à se factum esse: & hoc omnino est illicitum, si illud opus erat intrinsece peccatum; quia hoc est approbare peccatum, & illius habere complacentiam propter bonum finem. Sic nullo modo licitum est gaudere de peccato Adami, quantumuis magnum inde bonum sit secutum. Sicut enim effectus ille, vel respectus ad illum effectum non potest efficere, vt illud opus, quòd est intrinsece peccatum, sit licitum aut bonum; ita neque vt sit dignum gaudio aut complacentia. possumus tamen ob huiusmodi effectum gaudere de permissione peccati; hæc enim bona est, & Deus illam vult ob bonos effectus inde resultantes. Item si opus non sit peccatum, vel absque peccato sit factum; possumus ob iustas causas de eo sic facto gaudere. Si autem cum peccato per accidens tantum factum sit, possumus de eo gaudere secundum se, & præcisò peccato, quia secundum se peccatum non est. Secundò potest intelligi, quòd gaudeat, illud opus prauum, talem effectum bonum habuisse vel habere: & sic est licitum gaudere de opere malo. Non enim gaudemus illud opus malum factum esse; sed supposito quòd factum sit, gaudemus quòd boni effectus causam dederit. verè enim gaudio dignum est, quòd diuina bonitate etiam ex pessimis operibus maxima bona proueniant: sed hoc est potius gaudere de effecta quam de opere, etià etiam gaudeamus de cautione boni, quæ tali operi competit.

Ad primam rationem sententiæ contrariæ: Non semper qui potest aliquid desiderare vt fiat, potest etiam procurare vt fiat: vt patet in passione Christi, & in morte multorum. quando enim nemo est qui ius habeat faciendi, procurari non potest. cum

Ad ratio-
nem.

T t t 4 tamen

tamen est aliquis, qui tale ius habet, fas est illum inducere vt faciat.

106

Potest res per se illicita desiderari vt fiat inculpate.

Ad secundam: Primò, Concessa maiore potest negari minor: pollutionem enim sic fieri non est quid per se malum, sed indifferens, vt antè dictum est. Secundò, potest negari maior. etsi enim aliquid per se sit illicitum si cum iudicio rationis fiat, ac proinde non possit desiderari ob bonum finem vt ita fiat; tamen si fiat absque iudicio seu culpa, poterit aliquando desiderari causâ alicuius magni boni, quod inde proueniat, v. g. vt tyrannus peccat manu furiosi; vt matrimonium inter duos Principes inculpate contrahatur, quamuis inualidè, & proles suscipiatur, si inde pax regni securituta putetur. Docet hoc Adrianus supra: *Nullo, inquit, modo licet consentire consensu, qui sit causa actus, in aliquid, quod de se esset mortale. sicut in vigilia fieret, vt in homicidium pro tempore furia, vel somni perpetrandum, aut in stuprationem virginis, vel pollutionem in somno committendam: sed consensu nuda complacentia licet in tale præteritum vel futurum consentire propter bonum inde secutum vel secuturum.* Idem sequitur ex sententia eorum, quid admittunt in pollutione; quia eadem est ratio: tota enim ratio cur hæc ob bonum finem possit appeti sic fieri, est, quia eam sic fieri non est peccatum, & subest aliquod commodum, quod illud materiale incommodum compenset: atqui idem locum habet in exemplis prædictis. Idem expressè docet nosser Vasquez 1.2. disp. 115. cap. 2.

Ad tertiam, Quando id, quod per se malum est, ita fit, vt per somnum, furiam, vel ignorantiam excusetur, non est licitum antè vel post liberè in illud consentire. Respondeo, Hoc esse intelligendum de consensu, quo istud placeat per se & absolute, vt docet Adrianus supra: sic enim consentires in illud prout est obiectiue malum, & consequenter consensus traheret inde malitiam formalem. Hoc modo fas non est gaudere de pollutione vel homicidio secundum se considerato; sed solum ob aliquod bonum, quo illud incommodum rependatur.

DYBITATIO XV.

Vtrum delectatio, quæ ex imaginatione operis venerei percipitur, sit peccatum mortiferum.

107
In imaginatione operis illiciti duo spectari.

NOtandum Primò, In imaginatione (sub qua intellige quamuis aliam apprehensionem & notitiam per intellectum, vel sensum) operis illiciti duo considerari posse: nimirum ipsam imaginationem; quæ est actus vitalis, ac notitia quædam; & opus illicitum, eius obiectum. vnde duobus modis percipi potest delectatio.

Delectatio ex ipsa imaginatione.

Primò, Ex ipsa imaginatione, quatenus est notitia seu apprehensio veritatis, aut rei pulchræ, subtilis, raræ, exoticæ; admirandæ: talis enim notitia delectat, & magni inter homines aestimatur: vnde magno studio ad huiusmodi Spectacula solent concurrere.

Delectatio ex re imaginata.

Secundò, ex ipsa re, seu obiecto imaginato. Inter hos modos est hoc discrimen, quod in priore ipsa imaginatio vel perceptio rei per intellectum aut sensum sit immediatum obiectum delectationis; vt aperte indicant diuus Thomas 1. 2. quæst. 74. articulo 8. Gabriel in 4. distinct. 15.

Discrimen horum.

quæst. 13. art. 3. dubit. 3. & alij Doctores. Delectamur enim huiusmodi res intelligere, videre, vel audire narrari; etiam si ipsas detestemur, ac tristissimas iudicemus. vnde sola notitia talis rei apprehenditur vt bonum delectabile; non autem res ipsa secundum se, nisi quatenus subit rationem veri, rari, admirandi: quo modo est obiectum notitiæ, & mediante notitia oblectat. sed hoc nihil aliud est quàm ipsam notitiam delectare, & esse immediatum talis delectationis obiectum.

In altero modo, immediatum obiectum delectationis est ipsa res imaginata, (hæc enim concipitur vt bonum delectabile) & imaginatio solum se habet vt applicans & proponens obiectum, nulla enim res potest cire delectationem, nisi per sensum vel intellectum fuerit apprehensa, & affectui applicata.

Vnde vltius fit, vt hæc delectatio sit planè similis illi, quæ ex rei præsentia & actuali fruitione percipitur; & sequatur ex affectu & amore erga ipsam rem. Nam dupluciter potest à nobis aliquid fieri, vel esse præsens: Primò, Re ipsa. Secundò, Vi phantastica per imaginationem: & vterque modus eamdem delectationem parit; vt constat ex his quæ nobis in somnis accidunt; cum videmur nobis comedere, bibere, loqui cum amicis, &c. quod etiam docet D. Augustinus lib. 12. de Trinit. cap. 9. Ratio est, quia phantasia habet vim sensuum exteriorum, vt aperte etiam somnia testantur. Vnde sicut res, dum actu fit, vel præsens est, percepta sensibus externis, delectationem causat; ita etiam dum vi phantasiæ percipitur vt præsens, etiam si reuera non existat.

Alterà verò delectatio, cuius obiectum est ipsa imaginatio vel notitia, longè alterius est generis, vt pote magis spiritalis, & sequens ex affectu non erga rem, sed erga rei cognitionem. His positus,

Dico Primò, Si priore modo delectatio percipitur, non est per se peccatum. Est communis sententia Doctorem. Ratio est, quia delectatio sequitur conditionem operis ex quo nascitur: talis enim est delectatio, quale est opus vnde oritur; iuxta Aristotelem 10. Ethic. cap. 4. est enim quiddam necessariò ex operatione nobis congrua resultans: atqui opus, ex quo nascitur, non est malum, sed bonum, vel quid indifferens; nimirum notitia veritatis, vel rei raræ aut admirandæ visio; quam notitiam & visionem homines magni aestimant, etiam si obiectum, circa quod versatur, maximè execrentur: ergo talis delectatio non est per se mala. Hoc modo delectantur homines lectione vel narratione prætorum, duellorum, & rerum admirandarum, quæ per artem magicam fiunt: vel eorum, quæ pertinent ad opus generationis, & conceptum prolis, absque tamen villo affectu ad res ipsas.

Dixi, per se, quia potest esse peccatum ratione curiositatis, vel etiam periculi vterioris: vt si quis talium rerum cognitione tantopere delectaretur, vt desideraret easdem in se experiri, vel ab aliis fieri, vel esset periculum ne ipsæ per se placere incipiant. talia enim ex nimia curiositate sequi solent.

Dico Secundò, Si altero modo delectatio percipitur, & voluntas in eam consentiat; erit peccatum mortiferum vel veniale, pro ratione obiecti mortiferi vel venialis. Est communis sententia

Hæc est similis illi, quæ ex rei præsentia.

108
Delectatio de ipsa imaginatione.

109
Delectatio ex re imaginata.

tentia Doctorem, quam docet D. Thomas 1. 2. quæst. 74. art. 8. & ibid. Caietanus, Conradus, & Medina. Idem docet Magister in 2. dist. 24. ex D. Augustino; quem sequuntur ibidem Doctores Scholastici, Bonaventura, Richardus, Durandus, & Scotus in 2. dist. 42. quæst. 4. §. Sequitur. vbi dicit: *Quando voluntas imperat cogitationem alicuius illiciti, qua vult ut obiectum sit sibi præsens ad continuandam delectationem & complacentiam in illo; si illud cogitatum sit illicitum, in complacentia plena illius est peccatum mortale. Et hoc non solum de carnalibus; ut cogitare luxuriam; sed etiam in actibus intellectus, respectu aliorum obiectorum; ut imaginari & morari cum delectatione & cogitatione mortis inimicorum, &c.* Angelus v. Cogitatio, num. 2. vbi pro hac sententia citat Bonaventuram, Richardum, Alexandrum, & D. Thomam, Caietanum v. Delectatio, & passim Summistæ eodem verbo, & ceteri recentiores; vnde contraria sententia non est probabilis.

Probat
ex D. Au-
gustino.

Et probatur clarè ex D. Augustino lib. 12. de Trinitate cap. 12. quem etiam adducit Magister in 2. dist. 24. *Nec sanè, inquit, cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernes esse faciendâ, tenens tamen & volens libenter, qua statim ut attingerent animum res ipsi debuerunt, negandum est esse peccatum; sed longè minus quàm si & opere statuatur implendum. & ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda est, peccatusque percipiendum & dicendum; Dimitte nobis debita nostra, &c.*

Dices, illis verbis insinuat D. Augustinus, hoc esse peccatum veniale.

Respondeo negando assumptum: nam vt dicitur Thomas ait, Oratio Dominica etiam valet contra mortifera. Tantùm vult dicere esse minus peccatum, & facilius veniam impetrare, quàm propositum operis exequendi. nam esse mortiferum, manifestè indicat verbis sequentibus, cum ait: *Neque enim sicut in illis duobus primis hominibus personam suam quisque portabat; & ideo si sola mulier cibum edisset illicitum, sola utique mortis supplicio pleteretur: ita dici potest in vno homine, si delectationibus illicitis, a quibus continuo se deberet auertere, cogitatio libèter sola pascatur, nec faciendâ decernat mala, sed tamen suauiter in recordatione teneantur, quasi mulierem sine viro posse damnari: absit hoc credere. Hic quippe vna persona est, vnus homo est totusque damnabitur, nisi hæc qua sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.* Quibus verbis (quod etiam loco notato aduertit Scotus) apertè docet, consensum in delectationem esse peccatum mortiferum: nam dicit *totum hominem propter illud damnandum*, nisi per gratiam Mediatoris fuerit remissum: sicut mulier, etiam si sola pomum illicitum edisset, morte fuisset pleterenda. Idem probari potest ex Gregorio in Pastoralis par. 1. cap. 11. vbi docet, eum, qui huiusmodi delectationibus, etiam absque proposito operis, inquinatur, non esse idoneum ad offerendum Deo sacrificium, aut aliena peccata diluenda, *cum ipsum vastent sua*; apertè significans esse peccatum mortiferum.

110
Probat
ratione.

Idem probatur ratione. Primò, Illa delectatio, quæ hoc modo ex imaginatione rei turpis existit, est planè similis ei, quæ ex rei ipsius præsentia & vsu nascitur: cuius signum est, quòd

simili modo corpus immutet, & ad illicita conciter: atqui delectatio, quæ ex vsu talis rei percipitur, est mortifera; ergo etiam illa quæ ex imaginatione.

Secundò, Contactus turpis, & opera venerea externa sunt peccata mortifera; quia sunt propinqua dispositio ad illicitam genituræ profusionem, vt supra dubit. 8. ostensum est: atqui turpis imaginatio & delectatio subsequa etiam disponunt naturam ad eundem effectum: nam delectatio non sequitur ex opere imaginario, nisi quatenus ipsum est dispositio naturam commouens, & ad seminacionem excitans: ergo, &c.

Tertiò, Qui ex imaginatione occisionis inimici vel crudelis tractationis ita delectatur & interiorè afficitur, sicut affici solet is qui inimicum reipsa in potestate habet, & malè tractat, peccat mortiferè contra charitatem; quia placet illi malum inimici: illa enim delectatio oritur ex affectu odij, seu complacentia erga malum inimici: ergo similiter qui cogitatione turpi ita sensibilerè delectatur, sicut is qui ipsi operi incumbit, peccat mortiferè contra castitatem; quia habet complacentiam circa opus, quod castitati repugnat. Neque dici potest hoc esse peccatum veniale; quia versatur in materia graui contra castitatem; v. g. circa turpem contactum, vel copulam: vnde si est peccatum, (sicuti manifestè constat esse) est mortiferum, non veniale.

Quartò, Probat aliqui hac ratione: delectatio sequitur ipsum opus: ergo hoc ipso, quo consentis in delectationem, consentis tacitè in opus, eiusque executionem; etiam si ob aliam causam nolis exequi.

Verùm hæc ratio non videtur firma. Primò, Quia constat interdum aliquos delectari imaginatione operis, qui tamen nullo modo vellent opus explere: ac proinde non consentiunt in opus. Secundò, Quia alioqui Carthusianus oblectans se imaginariis carniū epulis, vel per somnium tali voluptate frui desiderans, consentiret in opus externum comestionis; & ita peccaret mortiferè contra votum, vel contra regulam præceptum. Similiter qui die ieiunij tali imaginatione delectaretur, peccaret contra præceptum Ecclesiæ. Hoc autem etsi quidam concedant, parum tamen videtur verisimile: quia non est illis vetitum frui delectatione carniū per somnium, vel imaginationem; sed solum exteriorè vesci, & velle vesci. Tertiò, Alioqui Sacerdos fingens se esse ludicem, & pletere fontes qui turbant Rempublicam, eoque figmento se oblectans, consentiret in opus externum ipsi vetitum, & peccaret mortiferè. Idem dicendum esset de iis, qui imaginario regno, ludo, prælio, vel alio opere ipsi ratione status illicito, delectarentur.

Hæc argumenta benè probant, ex consensu in delectationem non necessariò inferri determinatè consensum in opus vt reipsa exequendum; sed solum sub disiunctione, vt re vel imaginatione præsens.

Verùm quia opus imaginatione propositum non potest placere, ac proinde nec oblectare, nisi ipsum secundum se sit conforme affectui voluntatis, vel appetitui inferioris, vt rectè docet D. Thomas 1. 2. q. 74. art. 8. (ideo enim res per imaginationem præsens delectat, quia ipsa per se est conformis affectui, & apprehenditur vt bonum

Excitat ad
pollutio-
nem.

111

Verùm cõ-
sentiens in
delectatio-
nem, con-
sentit in
opus.

Consentit
in opus re
vel imagi-
natione
præsens.

112

Requiritur
affectus in
opus, seu
simplex o-
peris com-
placentia.

num

num hominis) hinc fit vt eo ipso, quo consentis in delectationem, etiam consentias in affectum & complacentiam operis externi, qua illud opus, qua parte est obiectum delectabile, placet affectui. Vnde si talis complacentia fit illicita, necesse est etiam consentium in illam illicitum esse; idque pro grauitate vel leuitate illius complacentiae, quae pendet ex conditione obiecti, seu operis externi, quod placet. Itaque cum affectio & complacentia circa res venereas in materia graui sit illicita & censetur grauis, consensus in illam erit peccatum mortale. Idem dicendum de complacentia occisionis inimici, & aliorum operum, quae lege naturae sunt prohibita. Vnde manifestè sequitur, etiam delectationem, quae ex horum imaginatione percipitur, si materia grauis sit, mortiferam esse.

113
Discrimen
delectatio-
nis vene-
reae, & eius
carnium.

Ex his intelligi potest, cur is qui imaginatione rei venereae delectatur, potius mortiferè peccet quam Carthusianus imaginario carniū esu; supposito neutrum velle ad opus externum procedere. Ratio enim est, quia ille consentit in veneream imaginariam, & phantasticam fornicationem, (vt D. August. lib. 12. de Trinit. cap. 9. loquitur) & consequenter in corporis commotionem, ac libidinosam pruriginem, quae ex tali imaginatione naturaliter sequi solet, & ex qua immediatè illa sensibilis voluptas fluit: atqui phantastica illa actio, sicut & corporalis immutatio inde consequens, est illicita; cum ad pollutionem disponat; ac proinde etiam voluptas inde resultans illicita est. Item consentit in complacentiam operis externi, qua parte est delectabile, sine qua complacentia non apprehenderetur illud opus vt delectabile: atqui haec complacentia etiam vt obiectum sufficiens peccati mortalis: nam affectum habere conformem operi, quod per se est peccatum mortale, est graue malum: & consequenter consensus in illud, mortalis.

Carthusianus autem ille solum consentit in imaginarias carniū epulas, & in corporalem commotionem, (si qua fortè in spiritibus, humoribus, aut corde sequatur) & in voluptatem hinc resultantem; quorum nihil illi est prohibitum. sola enim actio externa illi vetita, idque non tam causā vitandae voluptatis, quam mortificandae carnis per externam abstinentiam. Itaque satisfacit praecipio exterius abstinendo, & volendo abstinere; quantumuis imaginario esu & sapore delectetur.

Nec obstat quòd videatur consentire in affectum erga carnes; quia hic affectus malus non est, sicut nec affectus comedendi tempore ieiunij. Spono omne periculum vltioris consensus in opus externum, est tamen in huiusmodi saepe peccatum veniale; quia superflua delectatio quaeritur.

114
Si opus solo
Iure positi-
uo vetitū.

Confirmari haec possunt ex iis, quae tradit Gabriel in 4. dist. 15. q. 13. art. 3. dub. 3. vbi ex Rosella v. Ludus. §. 2. docet non esse peccatum mortiferum, delectari opere cogitato vel viso, si illud non Iure naturae, sed solo positio est prohibitum: vt cum quis imaginatione vel aspersione ludi vetiti recreatur. Quod intellige, etiam si illa recreatio talis sit, qualem ipsi ludentes percipiunt. Secus esse cum opus Iure naturae est illicitum. Ex qua doctrina sequitur, delectationem illam ex imaginario carniū esu non esse peccatum mortiferum, cum realis earū esus Iure naturae non sit illicitus.

Petes, Quae sit ratio huius discriminis.

115
Ratio dis-
criminis.

Respondeo, Quia id quod per se malum est, non solum exterius & re ipsa facere non licet; sed neque interius vi phantastica per imaginationem; neutro enim modo licitum illud appetere, aut voluntatem ei habere conformem. Non vt fit exterius, quia per se malum est: non etiam vt faciendum per imaginationem, quia affectus in opus imaginarium includit affectum operis in se considerati. Non enim potest placere opus in imaginatione, nisi etiam placeat in seipso: atqui omnis affectus & simplex complacentia obiecti per se mali, est mala, & tentatio, quae non est à Deo; iuxta illud Iacobi 1. *Deus intenerator malorum est, ipse autem neminem tentat;* eamque oportet à se depellere, & nullo modo ei consentire. Quod autem solo Iure positio est illicitum, id non est vetitum praecipio per imaginationem, cum solum externum exercitium operis prohibeatur. Suppono enim, Iure positio non prohiberi re ipsa actus merè internos. Neque affectus ille ad opus externum in se spectatum malus est, quando solum est simplex complacentia appetitus inferioris, non mouens ad externam executionem prohibitam. Affectus enim naturales ad bona adiaphora, per se mali non sunt, etiam si voto vel praecipio positio veteris illa sectari; vt affectus cibi vel potus tempore ieiunij; affectus opum, honorum, dignitatum, affectus vitae, longevitatis, &c. vnde tales affectus interdum sine peccato directè appeti & excitari possunt; vt si quis appetat famem vel sitim, vt difficultate ieiunij plus mereatur. Sic Dominus in seipso naturalem affectum vitae & horrorem mortis excitauit, quamuis praecipitum de morte subeunda haberet. Quando autem obiectum per se est illicitum, eius affectus seu complacentia nullo modo appeti potest, aut voluntariè excitari.

His adde, cum opus solo Iure positio vetitum est, facile posse à ratione illiciti praecipio, & solitariè tamquam licitum menti obici; quae praecipio in opere per se malo fieri nequit.

Ex quibus inferitur, eum, qui vouit abstinere ab vsu feminae, solum intendens se voto illo obstringere ad abstinentiam actus externi, non peccare peccato sacrilegij contra votum, etiam si interius morosè delectetur: quia per votum hanc delectationem sibi non praecipit, sed solum opus externum. Idem dicendum in aliis similibus. Secus si absolutè vouit continentiam, non intendens votum suum ad actum externum restringere.

116
Qualis de-
beat esse
consensus.

Dixi, Si voluntas in eam consentiat, quia absque consensu peccatum esse nequit. Debet autem iste consensus esse ex plena deliberatione, seu animaduersione intellectus. Si enim nullo modo aduertas illam cogitationem aut delectationem esse illicitam, nullum erit peccatum, etiam si per diem in ea verferis; vt passim DD. tradunt, quia vt illicita, nullo modo est voluntaria. quod enim nullo modo est cognitum, non potest esse volitum. Si imperfectè aduertas, erit solum veniale. Imperfectus enim rationis vsus in opere aliquo non potest nisi imperfectum consensum, & consequenter imperfectum peccatum causare. talis autem animaduersionis est cum res confusè se offert, instar mali certi vel dubij, sed mens aliis intenta & vix sui compos, tenuiter id apprehendit, ita vt ad pleniorum considerationem remissè & languidè excite-

tur.

tut. Si plene advertas quid agas, & opus esse illicitum, etiam si sub dubio se offerat, tamen si voluntas consentiat, & positum illa delectatio placeat, erit peccatum mortiferum, & tunc proprie dicitur delectatio *morosa*, eo quod homo illi post plenam considerationem immoretur, quamvis brevissimo tempore id fiat.

117
Si voluntas se habere negat.

Caetani sententia.

Sed dubium est, Si voluntas non consentiat positum, nec etiam positum dissentiat, sed permittit se habeat, an sit peccatum mortale? Quidam DD. negant, putantes necessariam esse positivam complacentiam. Ita Caetanus v. Delectatio *morosa*, vbi dicit: *Si ex complacentia illius delectationis provenit quod negligit prohibere illius continuationem, voluntaria sit delectatio, & vere morosa. Si autem non ex complacentia, sed ex non estimatione commota cogitationis & delectationis, negligentia provenit, (puta quia scit voluntatem suam consentire, & confidit quod propter huiusmodi commotiones phantasia & concupiscentia non ruet in consensum malum) peccat quidem, non tamen mortaliter, &c. Idem docet Angelus v. Cogitatio, num. 2. Quando, inquit, non imminet periculum casus, non est mortale peccatum si non repellit, est tamen periculosum. Eandem refert D. Bonaventura in 2. distinct. 24. part. 2. art. 2. quaest. 2. nec omnino rejicit, quamvis contrariam dicat tutiorem.*

Probabilius est teneri repellere.

Verum probabilius est hominem teneri positum dissentire, & etiam conari repellere. Ita docet D. Thomas 1. 2. q. 74. art. 6. vbi dicit rationem in directione passionum dupliciter deficere. Primo, Imperando illicitas passionem. Secundo, Illas non reprimendo. vnde concludit, peccatum *morosa* delectationis esse dupliciter in ratione: sentit igitur esse peccatum *morosa* delectationis, quando voluntas negativè se habet. Idem docet D. Bonaventura supra; vbi dicit, talem interpretationem consentire. & D. Antoninus p. 2. tit. 5. §. 5. in fine, & passim recentiores. Probatur, Quia talis delectatio est illicita & contra castitatem: ergo tenetur homo illam in se non permittere: & consequenter tenetur excitare in se illius displicentiam, & illam expellere. Confirmatur, Quia ob hanc causam tenetur impedire in se contactus turpes ab alio illatos, etiam si ipse nullo modo positum ad illos concurrat; nimirum quia isti contactus castitati repugnant, & ad luxuriam excitant: ergo cum talis delectatio etiam ad luxuriam excitet, imò ipsamet essentialiter sit luxuriosa, repelli debet. Neque dici potest hanc obligationem esse leviem; cum in materia gravi & sufficiente ad peccatum mortale versetur. Confirmatur, Quia expressus consensus in talem delectationem est peccatum mortale: ergo etiam interpretativus, quo quis negligit eam reprimere: hi enim consensus sunt eiusdem moris; nam indirectum & interpretativum in moralibus reducuntur ad speciem expressi, cum idem habeant obiectum. Neque verum est quod ait Caetanus, talem in veritate dissentire virtualiter saltem, quia cum non habeat illius positivam displicentiam, nullus in eo potest assignari actus, qui hunc virtualem dissensum contineat. Nec refert quod parvi illam aestimet, & non metuat ab illa superari: quia illam interim sponte in se permittit, & locum ei in animo suo tribuit. vnde etiam si non consentiat in id ad quod ipsa sollicitat, consentit tamen vt secum motetur: cumque nullam causam

extrinsecam habeat illius in se permitrenda, censetur ex affectu erga illam id facere, ac proinde interpretativè consentit.

Aduerte tamen, si causa iusta subit insistendi alicui operi vel cogitationi, vnde talis delectatio prater intentionem nascatur, non fore peccatum eam non repellere, vt passim Doctores tradunt, & dubitatione superiore dictum est. Quod si causa non sit quidem iusta, tamen aliquid commodi vel humanæ utilitatis habeat, ratione cuius illi actioni incumbitur, erit quidem peccatum; probabile tamen est non fore mortale, modò affectu illam detesteris, & prudenter confidere possis te non consenturum. ratio est, quia tunc nec expressè nec etiam interpretativè videris in illam consentire, cum aliunde causam habeas, cuius affectu operi incumbis; tibi que displiceat quòd talis delectatio vel commotio in parte inferiore exargat. Exemplum sit in studio curioso artis medicae vel anatomicae. Vide supra dub. 14: vbi id probauimus in simili multis Auctoribus adductis, & in tali euentu sententia Caetani locum habere possit.

118
Si causa subijt.

Dico Tertio, Quod ad rationem peccati attinet, talis cuique est delectatio venerea imaginatione percepta, quale est ipsum opus secundum se in praesentia: vnde cui ipsum opus in praesenti est mortale, ei quoque delectatio est mortifera: cui veniale, venialis. Est communis sententia Doctorum, & sequitur ex dictis. Ratio est, quia praecito iure positum; delectatio sequitur conditionem operis, ex cuius praesentia reali vel imaginaria resultat. est enim veluti passio quaedam appetitus necessariò ex opere apprehenso tamquam praesenti, & ad amato efflorescens, ac proinde eiusdem moris. Confirmatur Primo, Quia talis est delectatio, qualis est amor seu complacentia operis: talis est autem complacentia operis, quale est ipsum opus, seposito iure positum, quo solum opus externum vetatur: ergo talis est delectatio, quale est ipsum opus vt praesens spectatum. Confirmatur Secundo, Quia delectatio operis vt re ipsa praesentis, & delectatio eiusdem vt praesentis per imaginationem, sunt eiusdem rationis; eodem enim ferè modo corpus & sensualitatem afficiunt: atqui delectatio operis vt re ipsa praesentis talis est, quale est ipsum opus: ergo etiam delectatio operis vt praesentis per imaginationem.

119
Quale peccatum re- spectu cuiusque sit illa delectatio.

Ex his inferitur Primo, Sponsos de futuro non posse se oblectare imaginatione copulae futurae, eam tamquam praesentem fingendo. Ratio est, quia cum hoc opus, & corporis immutatio quae inde sequitur, illis sit illicita in hoc statu; etiam illicita est voluptas, quae inde proximè resultat. Si tamen illam apprehendant solum tamquam futuram, possunt de ea gaudere. Hoc enim nihil est aliud, quam gaudere spe & expectatione boni futuri, quae spes modò praesens est, & per se licita.

120
Sponsi de futuro.

Secundo, Viduam non posse delectari actu coniugij praeterito, si illum tamquam praesentem & nunc exercitum per imaginationem constituat, quia ille actus, & corporis immutatio quae inde sequitur, in hoc statu illi non sunt concessa. Secus si solum gaudeat de illo tamquam de re praeterita: hoc enim nihil est aliud, quam consentire in rem licitam, seu approbare actum praeteritum, & gaudere de cognitione, experientia, vel simili effectu bono, ex tali actu consecuto: nam de praeterito

Vidua.

terito non potest esse gaudium vel delectatio, nisi vel illud vi apprehensum statuatur tamquam presens, in quo modo verseris; (qua ratione similem parit voluptatem ac si re ipsa presens esset) & hoc modo diximus illam non posse delectari: vel ratione alicuius effectus, v. g. experientiae, famae, honoris, vel similis rei inde relictæ, quæ mala non est. Et hoc modo intellige Auctores, qui dicunt viduam de copula præterita gaudere posse, vt Angelum v. Cogitatio, num. 2. Nauarrum cap. 16. num. 10. Caietanum tom. 1. Opusc. 14. quæst. 1. & 2. & in Summa v. Delectatio morosa, & alios.

121
Coniuges.

Tertio, Coniugem in absentia coniugis non peccare mortiferè, etiam si imaginaria copula oblectetur, modò absit omne periculum pollutionis. Nam qui est in eo statu, vt ei opus externum re ipsa præstitum sit permissum, ei quoque permissum est opus imaginarium, seu vi phantastica præstandum, aliis incommodis seclusis. Ita docet Caietanus supra v. Delectatio morosa, §. Rufus. Fumus eodem v. num. 4. Idem indicat Paludanus in quartum, dist. 9. quæst. 3.

Quia tamen periculosum est huiusmodi cogitationibus immorari absente coniuge, sæpè potest esse mortale; & idè quidam Doctores strictius hac de re loquuntur; nec facilè est permitendum. In præsentia tamen coniugis, vbi periculum illicitæ pollutionis abest, non est vquam peccatum mortale: vt colligitur ex D. Chryostomo homil. 17. in Mattheum, explicante illud, *Qui viderit mulierem, &c. Neque propterea, inquit, tibi, Deus oculos effinxit, vt per illos ad animum adulteria transmittas; sed vt creaturas eius aspiciens mireris auctorem. Sicut ergo est temerè irasci, ita etiam temerè videre, si id ad libidinem facias.* Deinde addit: *Si enim vis videre, atque ex visu capere voluptatem; aspice propriam coniugem, & illius vsque amore perfrue: hoc enim nulla lex prohibet omnino. Si vero alterius venustatè penitus intuebere, etiam tuam iniuria afficis, à qua in aliam oculos auertis; & illam quoque quam contueris, nefariè eam tangens. Esi enim illam non attrectasti manu, at oculis tamen & voluntate palpasti, &c.* Vbi Chryostomus aperte infinuat, delectationem ex aspectu coniugis non esse peccatum (saltem mortale) eam tamen quæ ex aspectu capitur alienæ, mortiferam esse. Videri tamen possit Chryostomus loqui de consensu in opus, cum ait, *voluntate palpasti.* Sed hoc intelligi potest de voluntate tangendi per oculos, tamquam per longas quasdam manus. Vasquez pro *voluntate* legit *voluptate*, sed voluptate potius dicimur tangi quam tangere.

122
An peccatum delectationis & operis sint eiusdem speciei.

Petes, Virum peccatum delectationis pertinet ad eandem speciem, ad quam peccatum operis?

Respondeo, Si delectatio talis sit, qualis ex iplo opere præsentè ab eius auctore percipi solet, ad eandem speciem pertinere, ad quam ipsum opus, vt est obiectum formale illius delectationis, pertinet. Est communis sententia DD. Ratio est, quam supra attigimus; quia delectatio sequitur complacentiam operis; estque eiusdem moris: complacentia autem operis pertinet ad speciem operis, qua parte opus est illius obiectum: ergo etiam delectatio ad illam speciem pertinebit. Et confirmatur, quia in consensu delectationis est tacita approbatio operis; quod proxima delectationis est causa.

Hinc sequitur, delectationem ex cogitatione fornicationis pertinere ad speciem fornicationis; & quæ ex cogitatione peccati contra naturam, ad speciem peccati contra naturam; quæ ex imaginaria occisione inimici, ad speciem homicidij; quæ ex phantasia indebitæ excellentiæ, ad speciem superbiæ; & sic de ceteris.

Dubium tamen est, Virum si opus duplicem malitiam habeat, etiam delectatio vtramque contrahat, quamuis circa illud solum sub vna ratione versetur: vt si quis delectetur cogitatione coniugis alienæ absq; desiderio operis explendi, vt illa delectatio habeat non solum deformitatem contra castitatem, sed etiam contra iustitiam, sicut ipsum opus adulterij. Idè quæri potest de reliquis luxuriæ naturalis speciebus; vt de stupro, rapto, incestu, & sacrilegio: quæ, vt supra dub. 6. ostensum est, in ratione luxuriæ sunt eiusdem speciei.

Videri possit non habere duplicem speciem malitiæ, sed vnicam tantum, nimirum luxuriæ. Primò, Quia non versatur circa illud obiectum quatenus est iniuriosum alteri; (non enim delectatur quòd persona sit iuncta matrimonio, aut quòd marito hat iniuria) sed solum quatenus est delectabile secundum tactum, nimirum quia mulier pulchra: ergo non contrahit deformitatem ab illa circumstantia. Consequenter patet, Quia in illa delectatione neque expressè, neque interpretatiuè approbatur iniuria in maritum; cum nullo modo consentiatur in opus externum, vt ipsa exequendum, quo solo iniuria irrogatur. Idem videtur dicendum si persona sit affinis, vel Religiosa: præcinditur enim ab hac circumstantia, nec ea quidquam confert ad illam delectationem.

Secundò, Qui videt inimicum suum malè tractari & vulnerari in loco sacro, & delectatur illa inimici calamitate absque consideratione loci sacri, peccat solum peccato odij inimici, & non sacrilegij; quamuis sacrilegium sit circumstantia obiecti: ergo similiter qui delectatur circa uxorem alterius, peccat solum peccato luxuriæ, non autem iniustitiæ.

Tertio, Qui delectatur verbis contumeliosis in alterum dictis, non vt contumeliæ sunt, sed vt factiæ, non peccat contra iustitiam; & similiter si illa verba sint impura, & ex illis voluptatem capiat, vt impura sunt, non vt contumeliosa vel detrahtoria: ergo similiter qui cogitatione vel narratione adulterij delectatur, non vt est adulterium, sed præcisè vt est opus libidinosum, non peccabit contra iustitiam sicut adulter, sed solum contra castitatem. Simile argumentum fieri potest de eo qui videt personam sacram fornicantem, eoque aspectu delectatur.

Denique, idè consensus in executionem operis, siue efficax sit, siue inefficax per modum desiderij, contrahit duplicem operis malitiam; quia in executione neutra potest ab altera separari: vnde qui vult executionem, consentit in vtramque executioni necessariò coniunctam. At hæc ratio non habet locum quando quis consentit in delectationem. facile enim mens potest diuersas illas rationes (v. g. luxuriæ & iniuriæ, delectabilis secundum tactum, & iniuriosæ in proximum) in opere distinguere, & alteram sine altera sibi proponere, & circa eam absque vilo affectu ad alteram, per complacentiam & delectationem versari.

Hæc

123
An duplicem habeat malitiam.

Argumenta pro parte negante.

Hæc sententia ob has rationes mihi semper visa est valdè probabilis, eamque docet Angelus v. Luxuria, n. 2. quamvis ibi etiã amplius videatur vel- le, nimirũ, consensum in opus in omni luxuria naturali esse eiusdem speciei. Eandem etudite tradit Vasquez 1. 2. disp. 112. Ex qua sequitur, in confessione delectationis morosa circa species luxuria naturalis non esse necessarium explicare circumstantiam personæ imaginationi obiectæ; eò quòd hæc non mutet speciem illius delectationis, quando abest consensus in executionem operis.

Verũ quia altera est magis recepta, & ferè communi Doctorum, ac proinde tutior in praxi, mihi quoque placet, maximè quia huiusmodi de-

lectationibus morosis dediti plerumque etiam op- tant operis executionem, & solũ abstinent ob periculum infamiae vel alterius incommodi. Ita- que in confessione talium delectationum expli- canda est etiam conditio personæ, quæ animo fuit proposita: v. g. An fuerit coniugata, consanguinea, affinis, Religiosa. Quæ sententia confirmari potest ex diuo Chrysostomo supra Homil. 17. in Matth. vbi insinuat, cum, qui ad hoc adspicit mu- lierem ut oblectet aspectum, iam in corde esse mecha- tum. sic enim illa verba, Qui viderit mulierem, &c. interpretatur. & hoc modo intellectã illã commu- niori sententiã, argumenta prædicta contra illam vim non habent.

C A P V T I V.

De partibus Temperantiæ potentialibus, Continentia, Mansuetudine, Clementia, Modestia, & vitis oppositis.

Constat Dubitationibus 14.

D V B I T A T I O P R I M A.

Quid sit Continentia.

D. Thomas quest. 155.

1
Continentia
dupliciter
accipitur.



OMEN continentia dupliciter ac- cipitur, Primò, Vt significet vir- tutem quamdam, qua quis sese ab omni delectatione venerea co- hibet: quomodo passim accipitur in Scriptura sacra, & apud sanctos Patres: nec differt à castitate. & hac ratione tres continentiae gradus à DD. ponuntur, virginalis, vidualis, & conugalis; de quibus supra capite 2. dubit. 13. & 14.

Secundò, Vt significet firmitatem animi con- tra impetus passionem. hanc Aristoteles 7. Ethicorum vocat ἐκπρέσσειαν, & de ea, sicut & de eius opposito, fusè toto eo libro disput. 2. Hoc modo accipitur in hac quæstione: & nihil est aliud quàm firmum propositum animi, quo quis se continet in bono rationis contra impulsus concu- piscentiæ, quibus ad voluptates tactus, & præfer- tim venereas, impellitur. Est propositum, quia om- nis virtus & bona dispositio voluntatis consistit in proposito seu affectu honesti: in hoc enim sita est huius potentie perfectio: atqui continentia est vir- tus vel dispositio voluntatis, & in ea sedem suam habet, vt docet D. Thomas artic. 3. Debet autem hoc propositum esse firmum; quia alioquin facilè concupiscentiæ motibus expugnabitur; sicut in eo qui est incontinens, qui etiam bonum propo- situm habet, sed infirmum: vnde facilè suis cupi- ditatibus cedit.

2
Continet
in bono
rationis.

Isto proposito se continet voluntas in bono rationis, quatenus vult inherere ei quod ratio dicitur, nec sinere se impetu concupiscentiæ abripi ad illicita, quorum alterum ex altero sequitur. Ex eo enim quòd quis firmè alicui rei inhaeret, consequens est vt à contrariis non sinat se aliorum abduci. Con- tra impetus concupiscentiæ, &c. Quia hi motus ma- ximè voluntatem ad bona sensibilia contra ratio-

nis præscriptum alliciunt; & propensionem natu- rali, quæ homini ad conseruationem indiuidui & speciei insita est, sunt maximè conformes. Itaque in iis, qui nondum virtutem moralem, qua isti motus comprimantur, adepti sunt, præcipuè opus fuit quadam dispositione animi, qua voluntas se in bono contineret, ne ab illis ad illicita abriperet- tur; quam continentiam vocamus.

Dices, Etiam aliæ passiones magnam vim ha- bent voluntatem à rationis præscripto abduendi; An circa vt cupiditas honorum, opum, vindictæ, & simi- les: ergo in quibus per virtutes morales illæ pas- siones nondum sunt compressæ, iis etiam opus est continentia, quæ illis resistat, & voluntatem à re- cto discedere non sinat.

Obiectio.
An circa
alias pas-
siones sit
continen-
tia.

Respondeo, Hoc argumento rectè probari si- milem quamdam animi dispositionem contra il- los affectus ponendam: hæc tamen non vocatur absolute continentia, neque ab ea dicitur quis sim- pliciter continens, sed secundum quid, seu cum re- strictione; vt continens iræ, continens cupiditatis honorum, opum, &c. Ratio est, quia istæ passio- nes neque sunt ita consentaneæ naturali propen- sioni, vt concupiscentiæ delectabilium tactus, (vn- de etiam non sunt tam importunæ & assiduæ) ne- que hominem ita ad turpia trahunt. Quare in con- tinendo se ab istis non est illa peculiaris laus & difficultas, quæ est in resistendo gulæ, & veneris cupiditatibus.

3
Respons.

Petes, Vtrum continentia distinguatur à tem- perantia, & qua ratione. Videtur enim non distin- gui, quia versatur circa eadem, circa quæ tempe- rantia, vt docet Aristoteles libro 7. Ethic. cap. 4. & idem officium præstat: nam etiam temperantiæ est, voluntatem in bono honesto continere aduersus voluptates.

An distin-
guatur à
temperan-
tia.

Respondeo, Continentiam absolute dictam non

non distingui à temperantia, nisi vt imperfectum & inchoatum à perfectò & completo, & sicut dispositio distinguitur ab habitu; vt docet D. Thom. a. 4. in corpore, & Caietanus in art. 3. *Temperantia* enim consistit in firmo proposito continendi se in bono rationis, per quod passiones iam sunt domitæ, & rationi subiectæ; vnde includit (saltem in obliquo) habitum illum appetitus inferioris, quo motus huius appetitus rationi conformantur. *Continentia* verò est propositum simile, sed quod nondum eò peruenit vt passiones edomuerit, & rationi subiecerit: vnde adhuc pugnat cum hoste; cum temperantia de illo victoriam obtinuerit, & subiecerit seruituti. Quare continens similis est illi, qui feras agrestes cicurandas accipit: temperans ei, qui iam cicurauit. Per temperantiam bonum rationis descendit non solum in voluntatem, sed etiam in appetitum inferiorem: per continentiam, in solam voluntatem. Vnde pater, continentiam esse inchoatam quamdam temperantiam, quod maximè locum habet in sententia eorum, qui sedem temperantiæ & fortitudinis faciunt ipsam voluntatem, & has virtutes non pertinere ad appetitum inferiorem, nisi per quamdam extensionem, & veluti tamum sui.

5 Hæc tamen non sic intelligenda sunt, quasi temperans nullos amplius concupiscentiæ motus patiat, (hoc enim non est huius mortalitatis) sed quòd rariùs patiat, & ordinariè non tam vehementes: est enim intrinsecus multò melius compositus quàm continens; tum quia habitus voluntatis est firmior, tum quia præter hunc includit habitum appetitus inferioris, per quem compressis passionibus, appetitus iste rationi subicitur. Hinc fit, vt ab intrinseco non possint magnæ passiones exurgere. Hæc tamen interdum excitari possunt à causa extrinseca; vt à dæmone, humores & spiritus commouente, & obiectam delectabile assidue phantasiæ proponente: quo casu virtus temperantiæ sese exeret, & munus continententiæ præstabit, perfectiori tamen modo quàm ipsa.

6 Quod attinet ad continentiam secundum quid, quæ circa alias passiones versatur, hæc eodem modo se habet ad virtutes illarum passionum moderatrices, sicut se habet continentia simpliciter dicta ad temperantiam. Itaque continentia iræ nihil est aliud quàm inchoatio mansuetudinis: continentia cupiditatis honorum vel opum nihil est aliud quàm inchoatio magnanimitatis, magnificentia, liberalitatis; vt apertè colligitur ex diuo Thoma, & Caietano, art. 2. Eadem enim virtutes, quæ, vbi completæ fuerint, appetitum inferiorem rationi subiectum & passiones compressas tenent, iam primùm inchoatæ & quasi in cunabulis constitutæ passionibus nondum edomitis resistunt, & voluntatem in bono rationis aduersus illas continent, idque eiusdem honestiamorem.

7 Ex dictis intelligi potest, Virum continentiam sit dicenda virtus. Si enim virtus dicatur habitus còpletè potentiam circa aliquam materiam (v.g. circa passiones) perficiens; continentia non tam est virtus, quàm virtutis inchoatio & rudimentum. Vnde Arist. 4. Ethic. cap. vltimo in fine, dicit *continentiam non esse virtutem, sed quiddam virtutis habere admixtum*, nimirum quia voluntatem quidem rationi conformat, sed appetitum inferiorem, contra quem pugnat, rationi non subicit, &

ita à perfectione virtutis moralis deficit. Si tamen nomen virtutis accipiatur communiùs (vt passim solet) pro dispositione animi ad opus rectæ rationi consonum, seu pro principio laudabilium operum, vt inquit D. Thomas, sic continentia est virtus; disponit enim voluntatem ad rationis dictamen sectandum, & passionibus repugnandum, quod est honestum & laude dignum.

Notandum tamen est, *Continentiam* posse constitui virtutem quamdam generalem, (non essentia & attributione, sed obiecto & extensione) qua voluntas bono rationis in genere contra quasilibet passiones inhaerere decernit: illud enim obiectum habet quamdam communem rationem honesti per se expectandam, ac proinde potest constituere virtutem, atque ad eò certam virtutis speciem: affectus enim & propositum voluntatis ex ordine ad tale obiectum certam speciem contrahit; & hæc virtus ex eo quòd voluntatem in bono honesto contra passionum illecebras & impetus continet, rectè continentia dicitur: quamuis hoc nomen præcipuè ei conueniat, quatenus delectationibus tactus resistit. Hoc modo videtur explicari continententiæ ratio à Martino; sed non ex mente Aristotelis, vt rectè ostendit Caietanus art. 2.

Neque hic modus est consentaneus praxi: non enim solent homines ex nudo illo & generali motivo honesti passionibus resistere; sed ob particularem aliquam boni honesti rationem, quæ pro diuersitate materiæ se offert.

Quæ ad continententiæ cultum possint nos incitare, multa sunt, vt videre est apud D. Antonin. p. 4. tit. 4. cap. 2. §. 4. & Guil. Peraldum in Summa tit. de Beatitudinibus, parte 61. è quibus sex præcipua recensere videmus. *Continentiam* accipio generatim pro refrenatione animi à voluptatibus. Primum sit exemplum Christi & Sanctorum. *Christus plures enim qui falli non potest, vt pote ipsa Dei Sapientia, sit, voluptates contempsit, & quod carni molestius est, elegit. Id ergo est melius, id vtilius, id potius eligendum; & quisquis aliud doceat vel suadeat, ab eo tamquam à seductore cauendum, vt Sermone 3. de Natali Domini D. Bernardus ait.*

Secundum, Exemplum eorum, quibus voluptas noxam attulit, vt exemplum Euxæ, de qua Genes. 3. dicitur: *Vidit mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, &c. quæ voluptati còsentiens mundum perdidit, marito simul in præuaricationem pertracto.* Exemplum generis humani diluuiopropter voluptates delati: Sodomitarum, qui cælesti igne propter voluptates consumpti: Salomonis, qui per voluptates infatuatus, & cultor idolorum effectus est: denique quia maior pars mundi per voluptates perit.

Tertium, Consideratio loci in quo degimus, 3. *Locus* nimirum nos esse in loco exilij, in valle lacrymarum, non deliciarum; qualis erat Gehennom, id est, vallis Ennom, à qua putatur dicta gehenna: & meritò, nam delicias tormentum gehennæ sequuntur.

Quartum, Consideratio præsentis temporis, 4. *Tempus* vniuersum enim vitæ nostræ spatium est tempus poenitentia, & tamquam peruigium quoddam magnæ illius solemnitatis, & æterni sabbati, quòd prætolamur: vigilia autem non est tempus voluptatis, sed ieiunij, & afflictionis carnis. Huc referri potest illud Apostoli: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.*

Quin-

Continentia secundum quid.

An sit virtus.

8

Quomodo possit esse virtus generalis.

9

Incitantia continentia.

1.

Exemplum Christi.

2.

Paras voluptatis.

3.

Locus.

4.

Tempus.

10
5. Condi-
tio volu-
ptatum.

Quantum, Consideratio conditionis ipsius voluptatis, quam sit vilis, quam brevis, quam permixta doloribus, quam inutilis. Vilitas eius ex eo conspicitur, quod in ea nihil sit magnificum, nihil generosum, nihil masculinum, & brutis nos similes efficiat, carni dumtaxat & sensibus externis lenocinans; unde etiam pudorem & dedecus homini iniicit. Breuitas, quia sequitur operationem transeuntem; & quod avidius hauritur, eò citius in contrarium recidit. Doloris permixtio; tum quia magno labore comparatur, tum quia omnis voluptas corporis nihil est aliud quam mitigatio quædam & solatium molestiarum, vt rectè Aristoteles dixit; tum quia relinquit quamdam amaritudinem & veluti aculeum in animo, ac tacitum quoddam conscientie flagellum. unde rectè Genes. 1. Dominus in typo congregaciones aquarum appellauit maria; quia tota delectationum huius mundi congeries, quæ instar aquarum distilluit, multam habet admixtam amaritudinem. Et Ecclesiastæ 7. dicitur, Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, &c. nimirum ratione voluptatis. Inutilitas, seu vanitas; quia desiderium non satiat, sed magis accendit, & animi inquietudinem relinquit. Vnde Ecclesiastæ 2. Dixi in corde meo, Vadam & affluam deliciis, & fruam bonis: & vidi quod hoc quoque esset vanitas. Risum reputauit errorem, & gaudium dixit, Quod frustra deciperet.

6. Mala
comitan-
tia.

Sextum, Consideratio malorum, quæ ipsa se-cum trahit: nam corpus eneruat, & effeminatum reddit, spiritum carni subiicit, obliuionem salutis inducit, mentem obtenebrat, & sapientie percipiendæ ineptiam reddit; vt merito dictum sit Iob 28. sapientiam in terra suauiter viuentium non inueniri: bonorum operum sterilem reddit, diuinis consolationibus priuat, æternam afflictionem adducit. Momentaneum enim est quod delectat, sed æternum quod cruciat, vt quodam loco dixit Gregorius.

DUBITATIO II.

Quid sit incontinentia, & quale peccatum.

D. Thom. quest. 156.

11 **I**ncontinentia, vt opponitur continentie supra explicata, est, quando passio, præsertim ea quæ versatur circa delectationes tactus, vincit rationem, vsu rationis manente. Dico *Rationis vsu manente*: dupliciter enim passio rationem vincere potest. Primum, Si ad eam sit vehemens, vt iudicium rationis impediatur, & consequenter moralem libertatem adimat: sicut fit in iis, qui amore sunt amentes. quo casu non est propriè incontinentia. Sicut enim bestie non dicuntur *incontinentes*: ita nec illi, qui rationis vsu amiserunt, quantumuis turpia committant. Confirmatur, quia *incontingens* est, qui non continet se in bono rationis, cum possit & debeat: atqui talis non potest, ergo, &c. Dicitur enim incontinentia quasi per priuationem continentie: priuatio autem locum non habet nisi vbi & quando habitus adesse deberet.

Manente
vsu ratio-
nis potest
resistere.

Secundò, Si rationis vsu non tollatur: tunc locum habet *incontinentia*, si voluntas passionem sequatur. Ratio est, quia manente rationis vsu, semper potest homo passionibus resistere, & in ratio-

nis præscripto se continere, quantumuis illa vehementes fuerint; vt rectè docet diuus Thomas q. 156. art. 1. Si potest, ergo debet: si debet continere & non facit, iam est incontinens: deest enim continentia, vbi & quando debebat inesse.

12

Porro dupliciter passio rationem vincit, manente rationis vsu, vt colligitur ex Aristotele lib. 7. Ethicorum c. 7. & D. Thoma. 1. Primum, Si impetu suo rapiatur ad se voluntatem, priusquam ratio consultet, aut exactius deliberet; & hæc vocatur effrenata concupiscentia, & incontinentia. Accidit autem hoc vel ob passionis celeritatem, vt in cholericis; quia humor iste ob tenuitatem & calorem facilis est moueri & accendi: vel ob illius vehementiam; vt fit in melancholicis, qui ob siccam & terrestrem constitutionem vehementem accenduntur. In huiusmodi igitur voluntas non diu cunctatur, neque finit negotium ratione expendi; sed statim cedit: satis tamen in confuso aduertens malum esse quod proponitur.

Secundò, Si voluntas tenuiter bono rationis in-hæreat: tunc enim est passio magnum impetum non habeat, facile tamen voluntatem ad se trahit; vt fit in mulieribus, & iis quorum constitutio mollior est, & feminea; vt sunt phlegmatici, teste D. Thoma art. 1. ad 2. & Aristot. supra.

13

Petes, Quomodo passio potest vincere rationem, manente rationis vsu, quo res iudicatur esse illicita?

Respondeo, Rationem non ita vinci quin possit resistere; & ideo merito illi imputari, quod se vinci sinat, vel potius quod sponte cedat & consentiat. Passio enim solum allicit, blanditur, & suadet per modum propositionis obiecti; facit enim vt obiectum appareat valde suauè & conueniens homini. Hinc per sympathiam potentiarum intellectus simili modo illud apprehendit, & voluntati proponit. Et quamuis ex altera parte iudicet illud esse illicitum; nihilominus quia apprehensio delectabilis est vehementior, magisque sensibilis, ac naturalis, & ex ratione illiciti non cernitur præsens periculum, vincit ista apprehensio, & voluntati persuadet, vt delectabile hic & nunc honesto præponat, passionique consentiat. In potestate tamen voluntatis erat se continere, & illam delectationem contemnere, tum quia satis per rationem aduertit esse illicitam, tum quia minimè sibi necessariam.

14

Ex his colligitur Primum, Incontinentiam esse peccatum; tum quia turpe est rationem vinci à passione, & voluntatem deferere bonum rationis, vt inhæreat bono delectabili; tum quia voluntas trahitur ad infimas delectationes, quæ homini cum brutis sunt communes. unde etiam hoc vitium peculiarem turpitudinem continet; vt docet D. Thomas ar. 2. & Aristoteles libro 7. Ethic. cap. 8. est autem mortale vel veniale pro ratione materia.

15

Secundò, Incontinentiam ceteris paribus esse minus malum quam intemperantiam. Primum, Quia *intemperans* non peccat ex passione, sed spontanea electione, & propriae voluntatis malitia: *incontingens* verò ex impulsu passionis, tamquam ab intrinseco contra suam voluntatem incitatus: nam & ante & post passionem voluntati displicet opus, eoque commissio statim penitentia ducitur. Secundò, *Intemperans* habet intellectum præuè dispositum quoad iudicium obiecti, (non enim

Est minus
malum,
quam in-
temperan-
tia vitium.

enim reputat illud inhonestum, vel certè parui æstimat tamquam exiguum malum) & voluntatem prauè dispositam habitu vitioso, & appetitum inferiorem similiter: *incontinens* verò iudicium habet rectum & voluntatem rectam extra passionem, & appetitus inferior non est ad eò corruptus. Nec refert quòd *incontinens* sæpè vineatur; ex actibus autem frequentatis nascatur habitus: quia etsi dum labitur, aliqua praua dispositio voluntati & appetitui inferiori per actus prauos veluti afficitur; hoc tamen paulò post displicentia & dolore commissi abstergetur, vt in habitu solidum non faciat. Denique *imemperans* multò difficiliùs emendatur quàm *incontinens*, propter iudicij & voluntatis inolitam longa consuetudine peruersitatem.

16 *Incontinentia ira minus dedecorosa.* Tertiò, *Incontinentiam* concupiscentiæ plus habere probri & dedecoris, quàm *incontinentiam* iræ; turpius enim est à voluptatibus quàm ab ira superari: idque propter quatuor rationes, quas profert Aristoteles libro 7. Ethic. cap. 6. & D. Thomas art. 4. Prima est, Quia motus iræ habet aliquam speciem & imaginem rationis; (offert enim se vindicta menti specie iustitiæ) sed in eo deficit, quòd modum, qui à ratione præscribitur, non attendat. sicut veloces famuli, qui simulatque dominum aliquid imperantem audiunt, anticipant, & priusquam totum imperium perceperint, ruunt ad executionem. Motus autem concupiscentiæ nullam habet rationis speciem, sed totus est secundum sensum, totus mollis, femineus, carnalis, ad hoc solum tendens vt carni & sensualitati seruiatur.

17 Secunda, Quia motus iræ magis sequitur corporis temperamentum, & humoris conditionem, propter cholerae (quæ huic passioni seruit) tenuitatem & calorem. Hinc enim fit, vt posita apprehensione iniuriæ, humor biliosus statim effervescat, & concitetur ad vindictam: concupiscentiæ verò deseruit sanguis & pituita, quorum motus lentior, nec ita accenduntur. Itaque motus iræ magis est venia dignus quàm concupiscentiæ, qui non ita ratione corporalis dispositionis concitatur.

Tertia, Quia ira quærit manifestè operari, quasi in opere nihil sit dedecoris; concupiscentia verò quærit latebras, veluti conscientia suæ turpitudinis.

Quarta, Quia concupiscentia quærit voluptatem superfluam; ira verò repellit malum immeritum. Plus autem habet excusationis qui in malo à se depellendo modum rationis excedit, quàm qui in voluptate superflua adfiscenda.

Incontinentia ira periculosa. *Incontinentia* tamen iræ plus habet periculi; propter malum proximi, ad quod irrogandum ira profilit. hinc enim seditiones, bella, cædes, incendia, & tota ferè generis humani turbatio. vnde vt plurimum *incontinentia* iræ absolute est grauior.

DVBITATIO III.

De mansuetudine.

D. Thomas q. 157.

18 **M**ansuetudo (quæ Græcis *πραΐτης* & *ἐπιεικής* dicitur) est virtus irarum moderatrix: vel vt Glossa in cap. 5. Matthæi explicans illud, *Beati*

mites, ait: *Mansuetudo est dulcedo animi, quam non vincit amaritudo.* Sicut enim temperantia moderatur cupiditates delectationum gula & veneris, appetitum inferiorem ita rationi subiciens, vt etiam oblati occasionibus non plus quàm par est concupiscat: ita *mansuetudo* moderatur iram, subiciens rationi appetitum inferiorem, ita vt oblati irritantibus, in motum iræ non prorumpat, vel saltem iustum modum in eo teneat. Proxima igitur materia huius virtutis est ira, cui modum à ratione præscriptum veluti formam quandam imponit; nimirum, vt irascamur quando & cui oportet, quam ob causam, quantum, & quo modo oportet: & cum non irascendum, iram omnino comprimamus.

Hæc virtus multis locis commendatur in Scripturis, vt Ecclesiast. 10. *Fili, in mansuetudine serua animam tuam, & da illi honorem secundum meritum suum.* Psal. 36. *Mansueti autem hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* & Math. 5. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

Ad hanc colendam sex potissimum considerationes possunt nos impellere. Primò, Consideratio mansuetudinis diuine, quæ infinitis mortalium peccatis prouocata iram cohibet, & solita beneficia largissime effundere non cessat; iuxta illud Math. 5. *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.*

Secundò, Consideratio mansuetudinis Christi, *Qui cum malediceretur non maledicebat, cum patretur non comminabatur; tradebat autem indicanti se iniuste, vt ait B. Petrus Epist. 1. cap. 2. Qui etiam Matthæi 11. de se inquit, Discite a me quia mitis sum & humilis corde.* Hæc eius mansuetudo tota vita in conuersatione eum peccatoribus & rudibus enituit; sed maximè in iniurijs & contumelijs atrocissimis, quas toto tempore prædicationis, & præsertim in passione sustinuit, cum tamen facilimè se vindicare posset.

Tertium est, Consideratio nocuenti, quod sibi ipse infert, qui iniuriam facit. Hic enim se antè grauissimè lædit, quàm alteri nocere possit. nam ipsa nocendi voluntate coram Deo occidit suam animam, perdidit æternam vitam, & reum se æternæ mortis constituit: *Coram hominibus verò dedecore & infamia se afficit, & multorum aduersus seipsum aperit ora, tibi que maiores texit coronas, & multos patientiæ ac magnanimitatis tuæ constituit præcones, vt pulchrè docet Chrysostomus Homilia 62. in Math. Vnde rectè Psalm. 10. dicitur, Qui diligit iniquitatem, odit animam suam: nimirum, quia ante omnia illam grauissimè lædit. itaque magis commiseratione quàm ira dignus est: sicut si quis vt tibi talitrum inferat, vel pomum eripiat, per medios rueret enses, & in spicula se indueret, potius miserandus quàm plecten- dus esset.*

Quartum, Consideratio nocuenti, quod accipies, si illi irascaris, quod longè maius est quàm quidquid aduersarius inferre potuit. pulchrè enim à Chrysostomo demonstratum est; neminem lædi nisi à seipso. Itaque si irascaris, aduersarium iuuas, & crudelior tibi ipse es, quàm ille fuerit: si iram contines, irritum ipsius conatum reddideris, & illasum te custodieris, & præclare illum non solum viceris, sed etiam vlus eris. Docet hoc pulcherrimè Chrysostomus Homil. 85. in Math. *illa, inquit, fulgentissima victoria est, qua*

Materia proxima mansuetudinis.

19 Incitamentum mansuetudinis. 1. Mansuetudo Dei.

20 3. Nocuentum, iniuri.

21 4. Noxæ irascens.

iniuriam inferentem, patiendo superasti. Sic scopuli fluctibus celsi facile ipsos dissoluunt: sic Sancti omnes praclaro coronati praconio, tropaea praclara statuerunt. hanc victoriam laboris expertem consecuti; non enim luctari te aut laborare oportet. Deus eas tibi vires concessit, ut non manu conserione, sed patientia vincas, &c.

5. Confideratio B. Thomae Mori.

Quintum est, Consideratio illa B. Thomae Mori: Vel bonus est, cui irasceris, vel malus. Si bonus, immerito illi irasceris, ut quem Deus amet, qui Dei sit amicus & filius. Si malus est, vel talis erit in aeternitate, vel mutabitur, & erit bonus: si semper erit malus, sat habebit miseriarum aeternis incendijs addictus, vnde magis commiseratione quam ira dignus; si vero in aeternitate futurus est bonus, iniquum est illi irasci, qui aeterna amicitia tibi futurus sit deinctus, Deoque charissimus.

22. 6. Bona mansuetudo.

Sextum, Consideratio bonorum, quae mansuetudo secum adfert. Primo enim, facit similem Deo & Christo Domino, qui infinitam mansuetudinem erga peccatores praestant. Secundo, Meretur remissionem peccatorum, (iuxta illud Matthaei 6. Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater caelestis peccata vestra) & beatam patriam possessionem: vnde, Matth. 5. dicitur, Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram: nimirum terram viventium, de qua pelli non poterunt, ut D. Augustinus & alij communiter explicant. Tertio, Reddit vitam in hoc mundo tranquillam & pacatam: quod insinuat Psalm. 36. Mansueti autem hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. quod etsi potissimum in futura vita impleatur, tamen etiam in ista locum habet. Et Ecclesiastici 3. Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super gloriam hominum diligere. quasi dicat, consequetur gloriam & amicitiam apud homines. Denique omnes paene mortalium turbae, dissensiones & bella ex ira procedunt, quam mansuetudo praecidit. Quarto, Reddit animam serenam, & idoneam percipiendae veritati, quam ira maxime perturbat & impedit. vnde Iacobi 1. dicitur: In mansuetudine suscipite insinuum verbum, quod potest saluare animas vestras. Mansuetudo enim facit ut homo non contradicat doctrinae veritatis, quod plerique ex commotione irae faciunt, vnde diuus Augustinus libro 2. de Doct. Christ. cap. 7. ait: Opus est mite scire, neque contradicere divinae Scripturae, siue intellecta, si aliqua vitia nostra percutit; siue non intellecta, quasi nos melius sapere, veriusque percipere possimus: sed cogitare potius & credere id esse melius & verius, quod ibi scriptum est, etiamsi lateat, quam id, quod per nos ipsos sapere possumus. Vide D. Thomam art. 4. ad 1. Id ipsum confirmat experientia: nihil enim adeo impedit haereticos quod minus conuertantur ad fidem, quam iracundia in Ecclesiam Romanam, qua fit ut tranquillo animo eius doctrinam audire vel expendere nequeant.

DUBITATIO IV.

De ira & iracundia.

D. Thomas quest. 158.

23. Mansuetudini, sicut & aliis virtutibus, quae passiones moderantur, duo vitia opponun-

tur; ira vel potius iracundia (quae actum & habitum vitiosum irascendi designat) per excessum, & lentitudo per defectum. Ira per se nec bona est, nec etiam mala, sed quiddam indifferens, quo bene & male uti possumus; sicut & reliquae passiones. Malam non esse, vel ex eo constat, quia naturae est apprimè utilis ad ardua facta, & ad sui conseruationem. Sicut enim passio amoris data est homini ad boni prosecutionem: ita passio irae ad repulsionem malorum & nocentium; ne ea in re natura sit torpida & languida. Itaque habet eum locum in homine, quem miles in Republica. Vnde pulchre Nemeius lib. de Natura hominis cap. 21. dixit, *ἢν ὁ θυμὸς τὸ δειρποεικὲν εἶναι τὸ λογισμῶν, φράμ ἐστὶ σατελλίτιον ῥατῖονῖς.* Nec obstat quod rationem turbet, & sanum consilium ac iudicium de rebus impediatur; quia non debet excitari nec adhiberi nisi post consilium; nimirum quando veniendum est ad executionem: sicut miles non adhibetur nisi post Senatus vel Principis decretum; sed iubetur quietesce, donec accersatur ad opus. Deinde ira nihil est aliud quam appetitio vindictae: atqui vindicta bona est, si debito modo fiat.

Ira est quid indifferens. Utilitas ira.

Erit peccatum, si modum a ratione praescriptum non seruet, & tunc dicitur proprie iracundia, quam Aristoteles vocat *ὀργὴν ἄδικον*, distinguens eam a simplici ira, quae *ὀργὴν* dicitur. Dupliciter autem fieri potest ut ira praescriptum rationis non seruet. Primo, Ex parte obiecti, si iniustam vindictam appetas; ut ob causam non legitimam, vel maiorem quam oportet, vel absque publica auctoritate exequendam. Et hoc modo ex genere suo est peccatum mortiferum; quia contra proximi charitatem & iustitiam. Potest tamen esse veniale ob imperfectionem actus, quae spectatur vel ex parte voluntarij, ut cum motus irae perfectum rationis iudicium praeruit; vel ex parte obiecti seu materiae, ut cum quis modicam vindictam appetit; v. g. si parum trahas puerum per capillos, ut inquit D. Thomas: modicum enim instar nihili reputatur. Nec obstat quod ex genere suo dicatur mortifera; quia hoc intelligendum de actu profecto tam ex parte voluntarij quam ex parte obiecti, ut rectè explicat Caietanus; nimirum ut actus sit ex pleno iudicio rationis, & obiectum sit notabilis quantitatis: hoc enim modo accipiendus est actus, cum ex genere suo dicitur mortalis vel venialis.

24. Quale peccatum sit.

Secundo, Potest praescriptum rationis non seruari ex parte ipsius motus; ut si nimium interiorius irae exardescas, vel exteriorius eam per signa nimium patefacias. Hoc modo non est quidem ex genere suo mortale, potest tamen esse mortale, vel ratione affectus & praeparationis animi, quam inducit; ut si tantum irae accendaris, ut paratus sis aliquid facere, quod sit peccatum mortale: vel ratione scandalij; ut interdum accidere potest in Praelatis, vel ijs qui in infidelibus conuertendis occupantur.

25

Dices, Omnis ira videtur esse peccatum mortiferum; nam Dominus Matth. 5. generatim dicit: Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Quibus verbis significatur, illum mereri condemnationem mortis, nimirum aeternae: nam reus iudicio Hebraeis dicitur, qui dignus est condemnatione, puta mortis: illa enim est praecipua, & absolutè dicitur condemnatio, & iudicium: vnde

26. Obiectio.

V v v 3 trans

translata ad tribunal Dei, designat damnationem aeternam.

Resp.

Respondeo, Dominum ibi loqui non de omni ira; sed de ea, quæ tendit ad homicidium: complet enim illud præceptum, *Non occides*; addens, non solum externum homicidium esse peccatum mortiferum in iudicio diuino, sed etiam occultam iram, qua quis proximi mortem optat: vt rectè D. Thomas art. 3. ad 2.

De eadem ira intelligendum id, quod sequitur, *Qui dixerit fratri suo raca, qui dixerit fatue, &c.* nimirum ex ira, qua mortem illius desiderat: vt idem D. Thomas aduertit art. 5. ad 3. ponit enim Dominus tres gradus ad homicidium. Primus est, Ira interna optans mortem proximi. Secundus, Eadem ira prorumpens in contumeliam; sed leuiorem. Tertius, Eadem erumpens in contumeliam grauem. In quarto est ipsum homicidium, & quodlibet aliud graue nocumentum.

27
Discrimen
ira ab odio
& inuidia.

Vt autem quale sit peccatum iræ, meliùs intelligatur, notandum est, illud per se minus esse peccatum, quàm odium vel inuidiam, vt docet D. Thomas art. 4. *Odium* enim appetit malum proximi, quia malum, & eo dumtaxat sine vt ei sit malè, illi enim malè esse apprehendit tamquam suum bonum. Hinc fit vt nulla mali mensura fatiatur, quia quæ per se appetuntur, sine mensura & termino appetuntur; sicut auarus appetit diuitias, & voluptuarius delectationes sine termino. *Ira* verò appetit malù alterius sub ratione iustæ vindictæ: nimirum, vt qui offendit, sentiat & debeat se malè fecisse, & ita fiat compensatio. Vnde non appetit malum alterius nisi secundum certam mensuram; nimirum ad equalitatem iniuriæ, vt pœna sit commensura culpæ. cuius signum est, quòd si vindicta hanc mensuram exceperit, ira vertatur in misericordiam. Itaque spectat in obiecto imaginem quamdam iustitiæ, vt iustitiam vindicatiuam imitari videatur. Sicut enim hæc appetit malum proximi sub ratione iustæ vindictæ; sic ira sub specie & imagine iustæ vindictæ. sed in eo est discrimen, quòd iustitia illa regatur verà prudentiâ: ira non verà, sed imagine dumtaxat prudentiæ. vnde etiam in obiecto non spectat veram rationem iustæ vindictæ, sicut iustitia vindicatiua; sed speciem tantum iustæ vindictæ. *Inuidia* dolet de bono alterius, quatenus id aliquo modo propriam excellentiam videtur obscurare. Vnde desiderat illi malum, nempe illius boni priuationem, vt suam existimationem & excellentiam illibatam conferuet; ac proinde affectu proprii boni mouetur. Vnde patet, *inuidiam*, quæ non appetit alteri malum vt ei sit malè, sed vt sibi sit bonè, esse minus quidem malum quàm odium, quod solum appetit vt alteri sit malè; maius tamen quàm iram: nam ira spectat imaginem iustitiæ: & omnis irascens iustam causam iræ suæ præterdit, qua se excuset. Vnde etiam iudicio generis humani minus probrosa aut inhonesta quàm inuidia, quæ nullam iustitiæ vel honesti speciem præfert. Ob eandem causam ira censetur honestior, seu minus dedecorosa quàm concupiscentia, vt supra dub. 2. num. 16. dictum est.

Ira imitatur iustitiam.

Inuidia.

28
Ratione
modi iræ
habet peculiarem
a ratione.

Aduerte tamen, etsi ira ex parte obiecti formalis sit minus mala vel minus dedecorosa quàm odium, inuidia, & concupiscentia; tamen ex parte modi, cum quo fit, habet præ reliquis passionibus peculiarem quamdam inordinationem. Pri-

mò, quia maximè rationem perturbat. Secundò, quia maximum in agendo habet impetum. Tertio, quia corpus maximè immutat, ad eò vt hominem furiosè belluæ similem efficiat. Vnde Proverb. 27. *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor; & impetum concitati spiritus ferre quis poterit?* Et Gregorius libro 5. Moralium capite 31. *Per iram sapientia perditur, vt quid, quòve ordine agendum sit, omnino nesciatur; sicut scriptum est; Ira in sinu stulti requiescit, quia nimirum intelligentiæ lucem subtrahit, cum mentem per mouendo confundit.* Et infra: *Nam ira sua stimulis accensum cor palpitat, corpus tremat, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur nos: lingua quidem clamorem format, sed sensus quid loquatur, ignorat. In quo itaque iste ab arreptus longe est, qui actionis suæ conscius non est?* &c. Ratio est, quia sicut amor, desiderio & gaudio, deseruit languis; odio, timori, tristitiæ, melancholia; ita bilis deseruit iræ. Hæc enim, motu iræ insurgente, statim effervescent & concitatur, tamquam in malum præsens factura impetum. Motus enim spirituum & humorum respondent motibus animorum, propter mutuum corporis & animæ consensionem, & illius ad hanc naturalem subordinationem. Rationem igitur perturbat, non solum, vt aliæ passiones, faciendo obiectum aliter quàm in se sit, apprehendi; sed etiam, quia suo calore spiritus accendit, & commouet: qui tamen vt functionibus mentis sint idonei, debent esse temperati & tranquilli; deinde quia nimirum calefactis humoribus sumi excitantur, qui caput opplent & offuscant. Dat impetum passioni, ratione caloris & incitationis: sicut enim passio bilem concitat, ita vicissim bilis concitata passionem auget per quamdam sympathiam, mediante tamen imaginatione, qua res vehementius apprehendatur. denique corpus immutat, quia calidissima: vnde accendit spiritus & sanguinem, & simul cum illis veluti foras contra malum ruitura, exterius, in vultu præfertim, & oculis, sese prodit.

Notandum Secundò, ab Aristotele 4. Ethic. c. 5. poni quatuor species seu modos iræ; etsi D. Thomas art. 5. tres solum enumeret, secutus in eo Gregorium Nyssenum, vt potius Nemesium lib. de Natura hominis cap. 21. & Damascenum lib. 2. si dei Orthodoxæ, cap. 16.

Prima est eorum, qui simpliciter dicuntur *iracundi*, Aristoteli *ὀργιστοί*, qui celeriter irascuntur, & quibus non oportet, & quam ob causam non oportet, & vehementius quàm oportet; sed paulò post placantur.

Secunda est eorum, qui dicuntur *ἀκρόβολοι*, id est, *summe iracundi*, qui celerimè, ad omnia, & ob quamuis causam iracundia exardescunt. Hi duo modi fundamentum habent in temperamento bilioso, & in copia humoris biliosi, eiusque feruore, & tenuitate. Hinc enim prouenit illa celeritas irascendi ad minimas qualibet occasiones. Hi, iuxta Gregorium libro 5. Moralium capite 32. *accensis calamus similes, dum vocibus perstreperunt, quasi quosdam accensionis suæ sonitus reddunt, & cuius quidem flammam faciunt, sed protinus in fanilla frigescent.*

Tertia est eorum, qui dicuntur *πυρόβολοι*, quasi *pyrici*, *amarobilarij*, qui postquam excanduerint, propemodum sunt implacabiles. cuius ratio est, quia

Cur ira
maximè
perturbat
mentem.

29
Species iræ
apud Arist.

ὀργιστοί.

ἀκρόβολοι.

πυρόβολοι.

quia cum labore humore melancholico, diu tristitiam ex offensione conceptam retinent; & consequenter retinent iram, quæ tristitia querit medicinam: tollitur autem illa tristitia, vel temporis tractu concocta & euanescentes; vel vindicta obtenta: vtrumque enim, & tempus & vltio, est tristitia illius medicina. De his intelligi potest quod ait Gregorius supra: *Aly lignis grauioribus durioribusque non dispares, accensionem tarde suscipiunt; sed tamen accensi semel, difficiliter extinguuntur: & quia se tardius in asperitatem concitant, furoris sui diutius ignem seruant.*

Xerembi.

Quarta est eorum, qui *χαλμοι*, id est, *seui & difficiles*, qui numquam placantur, nisi iniuriam vlti sunt: non propter tristitiam, vt isti priores; sed quia imaginationem in vltionem defixam habent. His recte aptaueris illud Gregorij: *Aly, quod nequius est, & citius iracundia flammam accipiunt, & tardius deponunt.* quamuis & hoc interdum in prioribus, nimirum *πυροχλοισ*, locum habeat.

In prima igitur & secunda specie est inordinatio, ratione nimia celeritatis, qua fit vt rationis præscriptum non expectetur; quæ celeritas in prima est maior quam oportet, sed non summa: in secunda est summa, seu in summo gradu. In tertia & quarta specie est inordinatio ratione diuturnitatis; quæ in tertia quidem prouenit ex tristitia, in quarta ex vehementi imaginatione vindictæ.

30
Diuisio
Nemesij &
Damasceni.

Nemesius loco citato tres iræ species constituit. Primam vocat *ὀργη* & *ῥαθυ*, quam excandescantiam vocare possumus; estque nihil aliud quam ira, principium & motum habens. Hæc primam & secundam speciem Aristotelis complectitur. Secundam vocat *μῦθος*, *παρὰ τὸ μέτρον*, quod diu maneat: quæ nihil est aliud quam ira inueterascens, & *simultas* dici potest. Hæc pertinet ad tertiam Aristotelis. Tertiam vocat *κρότος*, *ἀπὸ τοῦ κείσθαι*, quod vindictam repositam habeat: quæ est ira obferuans occasionem vlciscendi. hæc inimicitia vocari potest, & pertinet ad quartam Aristotelis.

31
Qua ratio-
ne sint pas-
siones, &
qua vitia.

Possunt suprascripti modi considerari vel vt habent initium, & veluti fundamentum in naturæ dispositione: & sic sunt passiones, quæ per se moraliter nec bonæ nec malæ sunt. vel vt proueniunt ex dispositione voluntaria, aut aliquo modo à consensu voluntatis pendent: & sic sunt distincta peccata, habentia inordinationes specie distinctas, vt recte ostendit Caietanus, & satis colligitur ex dictis. quod intellige de secundo, tertio, & quarto modo; nam primus & secundus non videntur specie, sed solam secundum magis & minus distincti.

32
Esse vitium
capitale.

Notandum Tertio, Iræ seu iracundiam poni à DD. vitium capitale; quia ordinariè plura alia ex eo nasci consueuerunt: idque duplici ratione. Primò, Ex parte obiecti, quod est vindicta, habens speciem iniustitiæ: ratione cuius homines multa facere consueuerunt. nam & appetitui naturali, vt est depulsio mali; & rationali, vt habet specimen iniustitiæ, est valde conformis. Secundò, Ratione illius impetus, quo mentem ad multa inordinatè agenda, & ad quiduis audendum vindictæ desiderio præcipitat. Huius vitij D. Gregorius libro 31. Moralium capite 31. recenset has sex filias: *De ira*, inquit, *rixæ, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemæ, profe-*

Filia ira
sex.

rentur. Quarum ratio, iuxta D. Thomam, sic accipi potest: ira potest tripliciter considerari. Primò, Vt est in corde: ibi parit *indignationem & tumorem mentis*. Indignatio est, quæ is, cui irascimur, contemnitur, & vilipenditur tamquam indignus à quo tale quid patiamur. *Tumor mentis* est quo seipsum irascens extollit, & alteri præfert. Facit enim ira vt is qui offensus est, se apprehendat vt magnum, & extollat; eum verò qui offendit, vt vilem, & contemnat. sic animalia in ira intumescent, & se extollunt.

Secundò, Vt est in ore; & sic parit *clamorem, contumeliam & blasphemiam*. Clamorem, faciendo vt vocem extollamus, multa inordinatè & confusè iactantes: *contumeliam*, iactando conuitia verborum in proximum, *blasphemiam* contra Deum.

Tertio, Vt procedit ad factum; & sic parit *rixis, seu pugnas*, & quæ ex rixis sequuntur, vulnera, homicidia, &c.

Notandum Quarto, Remedia iræ esse eadem, quæ sunt ad vincula ad mansuetudinem, de quibus dubit. 3. Inter omnia autem merito primum locum tenet consideratio illa qua perpendimus nobiscum, quoties & quam grauius ipsi Deum post infinita ab eo percepta beneficia offenderimus; & tamen quòd exigua vel nulla satisfactione oblata cupiamus nobis ignosci, & Deus promptè ignoscat. Quanta igitur impudentiæ erit, si fratri, qui nihil vel parum beneficij à nobis accepit, exigua in nos peccanti non condonauerimus? Deus decem millia talentorum ad primam petitionem statim nobis condonat: nos fratri pauca minuta nobis debenti non ignoscemus? Hanc considerationem proponit Dominus, Matth. 18. Secundum locum tenet exemplum Christi, qui tot & tantas iniurias ab ijs, in quos tanta beneficia contulerat, sustinuit: & ipsidem etiam veniam & pacem à Patre rogauit. Gregorius libro 5. Moral. cap. 32. duos modos frangendæ iræ recenset: *Primus*, inquit, *est, vt mens sollicita antequam quidlibet agere incipiat, omnes sibi, quas pati potest, contumelias proponat, quatenus Redemptoris sui probra cogitans ad aduersa se præparet, &c.* *Secundus* est, *vt cum alienos excessus aspiciamus, nostra, quibus in alios excessimus, delicta cogitemus. considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena, &c.*

33
Remedia
iræ.

Quod ad alterum extremum mansuetudini oppositum attinet, id proprio nomine caret; sed dici potest *lenitudo*, vel *stupor*; vitium non ita frequens. Aristoteles vocat *ἀσπυρολας*, quasi dicas, *Intra scintillam*, vel iræ vacuitatem; nimirum cum quis ira insensibilis est mali & iniuriarum, vt non excitetur ad iram, quando etiam secundum rectam rationem oporteret. Est autem id signum stoliditatis, iuxta Aristotelem, quia tales non videntur habere sensum mali, aut apprehendere iniuriam. quod intellige, si id à stupore quodam naturæ proueniat: secus, si philosophica consideratione & exercitio comparatum; vt in aliquo fortasse è Stoica disciplina, quæ omnem iram vult exclusam, & *ἀπαθεῖαι* profiteretur.

34
Alterum
extremum
per defectum.
Lenitudo.

Hæc tamen iræ vacuitas non est per se vitiosa. Sicut enim irasci non est per se bonum: ita nec iræ motu vacare, aut esse ad irascendum stupidum, est malum. Potest tamen esse vitiosum, quatenus est causa, vt quis defectu iræ & animositatis, prætermittat aliquod officium iustitiæ, vel cha-

35
Non est per
se vitiosa.

ritatis, ad quod erat obstrictus: vt monere, corrigere, castigare, retundere contumaces, occurrere malis, &c. In quibus etiam Dominus interdum ira vsus legitur; vt Marci 3. *Circumspiciens eos cum ira.* & Ioannis 2. cum eiecit vendentes de templo. Quando enim ad tale quid obligamur, si perse friget animus, & detrectet tamquam rem arduam, excitanda est ira, quæ addat calorem & audaciam; torpore illo excusso. Ea enim est humana conditio, vt sine huiusmodi stimulo & præsidio, ad ardua exequenda vix excitemur; nam ira est satellitium rationis; sine satellite in Repub. mala non impediuntur: nec sine ira ratio in homine contra malum strenuè insurgit. vnde in eiusmodi euentis non excitare iram, est vitiosum; & contrarium mansuetudini per defectum. mansuetudinis enim est non solum iram comprimere, sed etiam cum opus est, excitare & asumere: quamuis hoc nomen magis compressionem insinuet, illa tamen iræ vacuitas non habet distinctam malitiam à malitia quæ est in omissione officij debiti, cuius est causa: nam solum est mala, quatenus in ea omisso debita actionis censetur volita.

DVBITATIO V.

De clementia & crudelitate.

D. Thomas q. 157. & 159.

Clementia est virtus mansuetudini affinis; non tamen eadem, iuxta D. Thomam. Distinguitur enim obiecto formali, & materia proxima. Mansuetudo enim proximè versatur circa iram, clementia circa vindictam externam. Illius officium est iræ imponere moderationem, & cum recta ratione conformitatem: huius verò diminueret, seu mitigare externam punitionem, quantum iustitiæ ratio patitur. Illa pertinet non minus ad subditos & infimos quàm ad Superiores: hæc propria est virtus Superiorum, & maxime Principum.

Dices, Eiusdem virtutis est moderari affectum internum, & opus externum, ad quod ille affectus inclinabat. Eadem enim virtus temperantiæ, quæ concupiscentias voluptatum carnis refrænat, etiam vltum externum temperat: & eadem fortitudinis virtus, quæ timorem & audaciam moderatur, etiam fugam & aggressionem dirigit. Similiter liberalitas, quæ diuitiarum cupiditatem, etiam externam largitionem moderatur. Idem cernitur in *modestia*, (prout est virtus circa honores mediocres occupata) magnanimitate, & magnificentia: ergo etiam virtus illa, quæ moderatur iram, nempe mansuetudo, etiam moderabitur externam punitionem, minuendo eam consentaneè suo affectui; ac proinde non distinguetur à clementia. Confirmatur, quia ira est cupiditas vindictæ & punitionis: at qui minuit cupiditatem vindictæ, hoc ipso etiam externam vindictam, quæ ex illa cupiditate sequitur, minuit.

Ob hoc argumentum videri posset alicui eadem habitus virtutis, qui quatenus temperat iram, dicitur *mansuetudo*; quatenus verò externam punitionem, *clementia*. Quæ sententia confirmari potest; quia vterque, nimirum mansuetus & clemens, videtur querere in seipso benignitatem quamdam

& suauitatem affectus in proximum, (vnde etiam vocantur lenes, & habitus eorum lenitas) & ex eodem affectu operari.

Nihilominus placet sententia D. Thomæ. Vnde respondeo, Dupliciter fieri posse vt quis incitetur ad maiorem vindictam quàm conueniat.

Primò, Ex impetu iræ. Et hoc modo vindictam minuit mansuetudo, vt rectè probat argumentum. imminuta enim vindictæ cupiditate, sequitur imminutio vindictæ. sicuti imminuta concupiscentia delectationum, sequitur moraliter imminutio in ipsarum vsu externo.

Secundò, Ex consideratione suæ potestatis, qua inclinatur ad intemperanter ea vtendum: ita enim est humanum ingenium, vt delectetur ostentatione potestatis, & aliorum sub se depressione, & miseria. Hoc modo mitigat punitionem clementia, quæ retinet animum, ne tota potestate in vindicta inferenda vtatur.

Vnde patet, has virtutes diuersas rationes formales spectare. *Mansuetudo* enim vindictam mitigat ne obtemperet iræ, & quia id consentaneum animo iræ dominantis: *clementia* verò, quia id consentaneum & decorum homini, potestate in alium prædito.

Decet enim in malis pœnisque inferendis non vt tota potestate, sed aliquid remittere, & infra meritum punire: sicut è contrario in premijs conferendis honestum est etiam supra merita remunerare: vt benignitas præmio aliquid adiciat, & supplicio aliquid detrahat. Sic Deus dicitur punire citra condignum, & vltra condignum præmiare. Cum enim pœna sit malum, & præter Dei primæuam institutionem, decet eam minui quantum ratio boni patitur. Et è contrario cum præmium sit bonum, & ex primo Dei instituto ac intentione, decet illud augeri quantum iusta proportio & bona gubernatio permittit.

Ex his facile intelligas quid sit clementia. Seneca libro 2. de clementia, capite 3. sic definit: *Clementia est temperantia animi in potestate vltimæ scendi: vel lenitas Superioris aduersus inferiorem in constituendis pœnis.* Et infra: *Clementia, inquit, est moderatio, aliquid ex merita ac debita pœna remittens.*

Quæ definitiones idoneæ sunt, & insinuant, tria ad clementiam, vt in actu externum exire possit, requiri. Primò, Potestatem puniendi; quæ tantum reperitur in Superioribus: vnde hæc virtus est propria Superiorum, & maxime Principum, qui pœnas legibus definitas possunt mitigare.

Secundò, Vt mitior pœna irrogetur, quàm Iure irrogari posset. Est enim clementia quædam gratia & condonatio, non perfecta, (distinguitur enim à venia) sed ex parte, ita vt iustitiæ vindictæ officium non excludat, sed solum asperitatem non nihil mitiget.

Tertiò, Vt id proneniat ex animi lenitate; qua fit vt quis proximo benignè afficiatur, cuiusque commodis faueat, incommoda abhorreat. Itaque si quis pœnam fontis mitigat inductus pecunia, vel amicitia, vel timore; non erit formale officium clementiæ: quia non ex affectu huius virtutis, sed ex alio motiuo id facit. dicitur tamen actus clementiæ, quia ratione materiæ ad hanc virtutem pertinet.

Porro quæ ad clementiam moueant, præcipua sunt ista. Primum, Exemplum Dei, in quo maxime hæc virtus elucet, quàm exigua pœna sinit in hac

36
Distinctio
clementia,
& mansue-
tudinis.

37
Obiectio.

Esse eum-
dem habi-
tum.

38
Respon-
sio.
Videri di-
stinctos ha-
bitus.

Spectant
diuersa ob-
iecta for-
malia.

Mala mi-
nuenda,
quia citra
nauitiam.

39
Definitio.
nes clemen-
tia.

Tria ad
clementiam
requisita.

40
Motiuum
clementiæ.
1. Exem-
plum Dei.

hac vita innumerabilia peccata lūi, quorum singula aeternis cruciatibus merebantur? unde merito Psal. 144. *Suaui Dominus uniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.* & Sap. 11. *Parcis omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas. O quam bonus & suavis est Domine spiritus tuus in omnibus!* In futura vita etiam summam seueritatem exerceat, quatenus de pœna statuta nihil remittit; in eo tamen est aliquid clementiæ; quod minorem statuit quàm iure potuisset, non continens in ira misericordiam suam; vt communiter Theologi tradunt.

2. Misericordia delinquentis.

Secundum est, Consideratio modi, quo peccatum commissum est; vt si perpetratum ex aliqua ignorantia, vel passione; quod pertinet, si ex paupertate, ex praua institutione, ex graui tentatione, si iniuria prouocatus, si ex ebrietate vel inconsideratione. hæc enim omnia apta sunt flectere animum ad clementiam, & ad mitiora in pœna statuenda.

Tertium, Cogitatio illa, qua quisque apud se statuere debet, similia vel grauiora fortasse se perpetraturum fuisse, si diuina gratia destitutus, & in similibus occasionibus deprehensus fuisset. nullum enim peccatum facit homo, quod non faceret alius homo, nisi iuuaretur ab eo, per quem factus est homo, vt quodam loco diuus Augustinus ait.

Quantum est, Clementiæ fructus: conciliat enim Principi amorem subditorum, præstat ei securitatem, & confirmat regnum. Vnde Prou. 28. dicitur: *Misericordia & veritas custodiunt regem, & clementia roboratur thronus eius.* Econtrariò crudelitas alienat animos, parit odia, & inimicos plurimos, à quibus assidua pericula & euersio status impendunt. Sicut enim præsertim arbores plurimis ramis pullulant; ita Principis crudelitas auget numerum inimicorum, vt rectè quodam loco dixit Seneca.

41
Quando videndum seueritate. 1. In militaria.

Aduerte tamen, quibusdam euentis bono publico magis expedire seueritatem quàm clementiam. Est autem seueritas inflexilis animi rigor; nihil de merita vel statuta pœna remittens. Hac vtendum, Primò; *In militaria*: hic enim omne erratum capitale est; propter publicum periculum. vnde exactè disciplina seruanda; vt si semel peccatum fuerit, saltem non contingat secundò, vt quidam ait; quod absque rigore fieri non potest. Accedit, quod illa hominum colluies, nisi seueritate & præfractis imperijs regi non possit. Refert in hanc sententiam nonnulla Valerius Maximus lib. 2. cap. 2. & lib. 6. cap. 3. & Lampridius in Alexandro Seuero. sed in primis memorabilis fuit seueritas disciplinæ militaris in Aureliano Imperatore, quæ ita militi formidolosa erat, vt post vnam castrensem animaduersionem nemo sub eo deliquerit amplius. Illius epistola ad Tribunalium militum; quem præsidio præfecerat, talis extat:

Disciplina militaris.

Si vis Tribunus esse, imò si vis viuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo attingat, vnâ nullus auferat, segetem nemo deterat: oleum, sale, ligna nemo exigat: sua quislibet sit annona contentus. Hostili præda, non pronincialium lacrymis ditescant: arma detersa sint, calceamenta fortia: noua vestis veterem excludat: stipendium habeat in baltheo, non in pompa.

2. In præfectos.

Secundò, In præfectos & ministros iustitiæ, præsertim qui muneribus corrupti iustitiam per-

uertunt; & ius omne venale habent. Hi enim potestate publica, qua, tamquam sacrosancta, castissimè vti deberent, abutuntur ad oppressionem innocentium, & priuatum compendium. Huius seueritatis præclarum exemplum refert Herodotus in Terpichore, seu lib. 5. & Valerius Maximus lib. 6. cap. 3. attingit. *Otanem*, inquit Herodotus, *Darius Rex ora maritima præfecerat. Huius patrem Sisannem vnus è regis Iudicibus, quod iniuste ob pecuniam iudicasset, Rex Cambyses, qui ante Darium fuit, interemit, interemptoque de re actum corum in lora concidit, quibus tribunal, in quo ille sedens iudicabat, intendit, ibidemque filium eius Otanem sedere Iudicem iussit, atque in memoria habere, in quo tribunali iudicaret.*

Tertio, Cum populi ingenium est malignum & refractarium, ita vt in officio aliter contineri nequeat. Ob hanc causam tota lex vetus, cuius ipse Deus erat auctor, & qua populum Iudaicum regi volebat, erat seuera, & acres pœnas infligebat, vt pro adulterio, pro violatione Sabbati, pro esu panis fermentati tempore Paschatis, &c. pœnam mortis: quia populus iste duræ cervicis erat, vt Scriptura loquitur. Item quando crimen ex pura malitia commissum: tunc enim clementiam non meretur. Denique seueritate vtendum, quando id magis iudicatur expediens vel ad emendationem delinquentis; vel certè ad publicam disciplinam faciendam. hic enim est finis punitionis: ac proinde mensura vindictæ hinc capienda. finis enim est mensura eorum, quæ sunt ad finem. alioquin decet vt animus ex se propensior sit ad clementiam, eamque adhibeat, quando bonum publicum, vel correctio delinquentis aliud non postulat.

Clementiæ opponuntur duo extrema, *Crudelitas* per excessum, & *Nimia lenitas* per defectum. *Crudelitas* nihil est aliud quàm atrocitas animi in exigendis pœnis. Sicut enim clementia minuit pœnam quantum ratio permittit, ita crudelitas illam supra iustum modum exaggerat: idque ex animi quadam asperitate, malo alterius minimè compatientis.

42
Vitiū opposita clementiæ.

Supponit hoc vitium in opere suo potestatem puniendi siue legitimam, siue vsurpatam. nam in eo consistit, quod in vsu istius potestatis modus excedatur, dum pœna maior infligitur quàm culpa meretur. Secundò, Supponit etiam causam, nimirum iniuriam quæ vindicetur, aut delictum quod puniatur. Vnde Seneca libro 2. de Clementia cap. 4. *Illos, inquit, crudeles vocabo, qui puniendi causam habent, modum non habent. Sicut in Phalaris, quem aiunt non quidem in homines innocentes, sed super humanum ac probabilem modum sauisse.*

Crudelitas enim est excessus in pœnis exigendis. pœna autem delictum vel speciem delicti supponit. ita crudelitas propriè respicit ad aliquam culpam, & præterdit speciem quamdam iustitiæ.

Dices, Quidam non exigunt pœnas, crudeles tamen videntur, tamquam qui ignotos homines & obuios non in compendium, sed occidendi causa occidunt; nec interficere contenti, sæuiunt, vt Busris ille; & Procrustes, & piratæ, qui captos verberant, & in ignem viuos imponunt: ita Seneca obijcit.

43
Obiectio.

Respondeo cum eodem Seneca, Tales non tam esse crudeles quàm feros, & vitium eorum feritas.

Responsio. Feritas.

rem, cui voluptati est scilicet. Sicut enim immanes belluæ dilaniant homines, & ea re delectantur, nullam iustitiæ aut rationis speciem attendentes, sed solum voluptatem patitur: ita qui non vindictæ causâ (quæ aliquam iustitiæ imaginem præfert) cruciatus inferunt, sed quia tormentis & sanguine humano delectantur, merito dicuntur *feri & scævi*, utpote belluis quàm hominibus affectu & truculentia morum similiores. tales se præstant quidam hæretici in Catholicos, præsertim Sacerdotes, inuitatis supplicii eos afficientes, non ut puniant aut vindicent aliquam iniuriam, (quæ enim iniuria est, antiquam religionem toto orbe diffusam, & tot sæculis florentem colere?) sed ut animum tormentis & sanguine eorum expleant. Latronum scilicet, qui propter compendium homines torquent & occidunt, magis ad feritatem quàm ad crudelitatem referenda est: quia non vindictæ aut punitionis causâ faciunt, sed sui commodi, sicuti immanes feræ, quæ ob partum occidunt.

44
Nimia lenitas.

Alterum extremum clementiæ oppositum est *nimia lenitas*. Hæc inconsultè poenam mitigat, vel omnino remittit, etiam cum bonum delinquentis, & exemplum aliorum aliud requirit: vitium non minus Reipublicæ perniciosum quàm crudelitas. Inde enim criminosi, & turbatores pacis publicæ inualefcunt. vulgò tamen *clementia* vocatur, cum potius crudelitas sit in Reipub. quàm clementia in priuatos. Prouenit hoc vitium ex nimia alieni mali compassione; cum fortuna & calamitas quam patitur, non causâ spectatur. hanc Seneca vocat *miseriordiam*, nomine non satis in eum sensum, præterquam apud Stoicos, vsitato. potest etiam provenire ex nature quadam lenitudine & stupore, culpæ magnitudinem non percipiente; de quo supra dubit. 4. denique ex amore alicuius commodi vel timore incommodi. ut cum Iudex muneribus corruptus, vel metu officij amittendi impulsus fontibus parcit, quamuis hic non tam sit vitium nimie lenitatis, quàm auaritiæ vel ambitionis.

DVBITATIO VI.

Quid modestia, & quæ eius species.

D. Thomas quest. 160.

45
Modestia.

Modestus vocari solet, qui intra modum & limites sui status, ingenij, & fortunæ se continet, suo modulo contentus. Vnde *modestia* est virtus qua quis hanc mediocritatem, in se amat & præstat, motus suos internos & externos, & omnem rerum suarum apparatus intra mensuram sibi congruam coercens. Hinc patet, modestiam esse affinem & annexam temperantiæ. Sicut enim temperantiæ moderationem adhibet in ijs in quibus difficillimum est adhibere, nimirum in delectationibus tactus: ita modestia in alijs quibusdam modum ponit, ubi id minus quidem est difficile, tamen ad rectè præstandum opus est virtute. D. Thomas huius virtutis quatuor statuit species, *humilitatem, studiositatem, modestiam motuum exteriorum, & modestiam externi apparatus*. Moderatis enim delectationibus carnis per *temperantiam*, & impetu iræ per *mansuetudinem*; quatuor supererant, quæ potissimum moderatione

quadam, & intra certos limites restrictione egere videbantur. inter quæ Primum est, motus animi ad excellam, ad quem coercendum est *humilitas*. Secundum, Nimium desiderium cognitionis, præsertim curiosæ: hos refranat *studiositas*. Tertium, Motus & gestus externi corporis: hos componit *modestia morum*. Quartum, Externus cultus & apparatus in vestibus, conuiujs, suppellectili: hunc moderatur alia quædam modestiæ species, quæ *modestia cultus* dici potest.

DVBITATIO VII.

Quid sit humilitas, & quod eius officium.

D. Thomas quest. 161.

Humilitas ab humo dicitur, quia per illam ad ima, & veluti ad humum vsque deprimitur. Dupliciter autem id fieri potest, 46
Humilitas duplex.

Primo, Si contra voluntatem ab alio depressus sit; & hoc modo humilitas est poena: sicque dictum est, *Omnis qui se exaltat humiliabitur*.

Secundo, Si quis sua sponte ex consideratione suorum defectuum se deprimat; & hoc modo est virtus; quæ variis modis definiti potest. D. Thom. art. 1. ad 1. *Humilitas*, inquit, *est virtus, qua quis defectum suum considerans, se in infimis secundum vis definitum suum continet*. Idem ad 2. *Est laudabilis sui uis ad ima deiectione*. Ioannes Rusbrochius lib. de Præcipuis virt. cap. 1. *Humilitas est animi demissio, id est, interna quadam & profunda cordis & animi coram celsissima Dei maiestate inclinatio & submissio*. Apustilimè D. Bernardus lib. de Gradibus humilitatis, in principio: *Humilitas est virtus, qua quis verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit*.

Ex quibus patet, humilitatem supponere cognitionem sui, id est, suæ imperfectionis, sui que defectus. Hæc *sui cognitio* comparatur, dum quis se coram Deo & Angelis constituit, considerat qualis sit tum animo, tum corpore: quàm ignorans, quàm ad malum pronus, ad bonum lentus & infirmus, quàm rebus infimis addictus, quàm leuis & instabilis: quantis peccatis obnoxius, quantis miseris subiectus, quàm in Deum ingratus: præterea se ex se nihil boni habere, nihil posse, nihil esse: sua omnia assidue à diuina bonitate pendere, sicut imago in speculo pender ab obiecto, sicut pondus suspendum in aère à manu tenentis; sicut lumen à sole, & sicut umbra à corpore; denique sine assiduo Dei influxu se in nihilum ruere.

Dixi, Coram Deo hanc considerationem faciendam; quia *ad illud lumen veritatis constructus homo, se ipsum & sine dissimulatione inspicit, & sine palpatione diuiduat*, ut inquit D. Bernard. Sermone 42. in Cantica. Sicut, ut quis nauos omnes sui corporis perfectos habeat, se ipsum soli exponit, ut in eius lumine omnia detegantur.

Hac cognitione posita in intellectu, sequuntur in voluntate multi affectus & motus, qui sunt humilitatis actus & functiones. 48
Actus humilitatis.

Primo, Vilipensio & contemptus sui, per quem se, quoad ea quæ ex seipso habet, nihil æstimet.

Secundo, Reputat se omnibus Dei donis indignum, & ad omnia ineptum: idque sine falsitate, ut docet D. Thomas art. 6. ad 1. talis enim reuera est secun dum ea, quæ ex seipso habet.

Tertio,

Tertio, Hinc sequitur, vt veritatis amore impullus, non cupiat ab alijs magni æstimari, honorari, vel laudari: quia videt id sibi non congruere, sed ei à quo omne bonum accepit. Vnde cum Apostolo dicit: *Regi sæcalorum immortalis & inuisibilibi soli Deo honor & gloria.* non enim imago vel pictura laudem meretur, sed pictor: nec olla, sed plattes.

Quarto, Quantum in ipso est, desiderat etiam vilis haberi, & ab alijs contemni: talem enim cupit se ab alijs iudicari & æstimari, qualem se veritatis sententiã, & in oculis Dei nouit esse. Vnde D. Bernardus Serm. 16. in Cantica: *Verus humilis vilis vult reputari, non humilis predicari: gaudet contemptu sui, hoc solo sanè superbus, quod laudei contemnat.* Dixi, quantum in ipso est; quia non semper expedit vralij nostros defectus nouerint, aut nihili nos æstimet; propter ædificationem, & fructum aliorum: vt diuus Bernardus Sermone 42. in Cantica notat.

Quinto, Cum videt se magni fieri vel honorari, dolet; nec illum honorem in animo sibi attrahit, imò nec admittit, nisi forte ratione officij aut doni quod habet; & ita illum in Deum, saltem implicitè, refert.

Sexto, Conferendo se alijs, cõsuet se omnibus viliozem & deteriozem: considerat enim se iuxta ea quæ ex seipso habet; alios verò secundùm ea quæ ipsi ex Deo, & sic illos sibi præponit; vt benè D. Thomas art. 3. declarat. Hoc enim est ingenium humilitatis, in se inueniri sua mala, in alijs, eorum bona: sicut è contrario superbiæ indoles est, intendere in sua bona, & in aliorum mala, quilibet autem secundùm sua est deterior quàm sunt alij secundùm ea quæ sunt Dei; vt benè docet Anselmus lib. de Similitudinibus c. 109. & diuus Thomas art. 6. ad primum, & Caietanus ibidem contra Martinum.

Septimo, Subiicit se Deo veluti infinitum machipium, vel potius, sicut testa figulo, & opus suo factori, vt de se disponat pro suo beneplacito in omnibus, præsertim quæ ad hanc vitam pertinent: verbi gratia, quod ad paupertatem vel diuitias, sanitatem vel morbum, infamiam vel gloriam, mortem vel vitam attinet. vnde I. Petri 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.*

Octaudo, Subiicit se hominibus propter Deum, finens se ab illis tamquam instrumentis Dei gubernari. Vnde I. Petri 2. *Subiecti estote omni humane creaturæ propter Deum, sicut Regi; quasi præcellentis, &c.*

Nono, Denique in externis rebus & functionibus, quantum in se est, amplectitur semper id quod est abiectius & minus honoratum, v. g. locum inferiorem in confessibus; latus sinistrum in congressibus, locos simpliciores, officia vulgò minus honorata, vestes, suppellectilem, &c. In vsu tamen externo debet habere rationem decori & officij, quod gerit, vt antè dictum est. Hæc sunt actiones humilitatis, & hoc ferè ordine ad ipsam virtutem comparantur, ab eaque procedunt.

Notandum est, à D. Bernardo Sermone 42. in Cant. duplicem humilitatem distingui, alteram iudicij, quæ adhuc imperfecta est: alteram affectus, quæ perfecta. Iudicij humilitas est, qua quis seipsum ad lumen veritatis intuens agnoscit suam vilitatem, & se coram Deo demittit; non tamen

vult ab alijs vilis haberi aut contemni, sed potius magni æstimari & honorari. Dicitur *iudicij*, non quòd nullo modo transeat ad effectum; (demittit enim se in abscondito coram Deo) sed quia non ita efficaciter transit, vt sicut se vilem iudicet, sic quoque ab alijs vilis haberi cupiat. vnde potissimum in iudicio remanet. Affectus humilitas est, qua quis etiam ab alijs talem se haberi cupit, qualem se coram Deo cognoscit. De his ita Bernardus loco citato: *Est humilitas; quam nobis veritas parit, & non habet calorem: & est humilitas, quam charitas format & inflamat: atque hæc quidem in affectu, illa in cogitatione consistit. Et tenim tu, si temeripsum intus ad lumen veritatis & sine dissimulatione inspicias, & sine palpatione diiudices, non dubito quin humilieris; & tu in oculis tuis, factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui: quamuis necdum fortasse id esse pararis in oculis aliorum. Eris igitur humilis, sed de opere interim veritatis, & minime adhuc de amoris infusione. Nam si veritatis ipsius, que te tibi veraciter atque salubriter demonstrat, sicut splendore illuminatus, ita amore affectus suis: voluisses proculdubio, quod in te est, eandem de te omnes tenere sententiam, quam ipsam apud te veritatem habere cognoscis. Et infra reprehendit eos, qui solam iudicij seu veritatis humilitatem habent. Pondus, inquit, & pondus, abominatio est apud Deum. Quid enim? Tu te depretiaris in secreto apud teipsum, veritatis trutina ponderatus: & foris alterius preij mentiens, maiori te pondere vendis nobis quàm ab ipso accepisti? Time Deum; & noli hanc rem pessimam facere, vt quem humiliat veritas, extollat voluntas: hoc enim est resistere veritati, hoc pugnare contra Deum, &c.*

Dices Primò, Humilitatis est cohibere affectum, ne feratur ad excelsa supra conditionem & proportionem hominis: atqui idem præstat magnanimitas; ergo non videtur distingui à magnanimitate. Ob hoc argumentum Martinus ponit humilitatem virtutem reipsa non discrepantem à magnanimitate, sed fallitur; vt rectè ostendit Caietanus. Primò, Quia virtutes ex principalibus functionibus suis distinguendæ sunt: atqui principalis functio magnanimitatis est, non coercere affectum, sed impellere ad ardua & magna, quibus homo est dignus; secundariò autem retrahit ab his, quæ dignitatem ipsius superant. Humilitatis autem primarium munus est non impellere, sed retrahere animum inordinatè ad excelsa tendentem, & intra suam mensuram coercere, vt iis, quæ hominis vilitati congruunt, acquiescat. Itaque hæc virtutes contrario modo procedunt; magnanimitas impellendo ad ardua, quæ sua difficultate animum absterrent, & desperationem iniiciunt: humilitas retrahendo à magnis, quæ splendore & excellentiã suã animum alliciunt. Itaque ad quod magnanimitas affectum impellit, ab eo humilitas retrahit, licet sub diuersa ratione. Deinde etiam si magnanimitas secundariò à quibusdam animum retrahat, à quibus retrahit etiam humilitas, sub alia tamen ratione formali id facit. Illa enim retrahit animum à quibusdam excelsis, quatenus superant proportionem, quam habet homo ad illa ex parte donorum Dei: (non enim vult magnanimus maiora quàm ipsi ratione donorum, quibus præditus est, congruant) hæc verò retrahit animum ab omnibus excelsis, quatenus superant proportionem, quam habet homo ex parte

Affectus.

Humilis de opere veritatis, & de charitate veritatis.

Obiectio 1. An distinguitur à magnanimitate.

Responsi.

49
Duplex
humilitas.
Iudicij.

parte sui. Ratio itaque coercendi & retrahendi animi est diuersa, nimirum excessus obiecti respectu eius, quod homo habet à Deo: & excessus obiecti respectu eius, quod homo habet ex seipso. Hunc respicit humilitas, illum magnanimitas. Vide Caletanum art. 1. ad secundum.

51. **Obiectio 2.** An humilitas impediatur magnanimitatem. Dices Secundo, Si humilitas coercet affectum ne feratur ad aliquid, quod est supra proportionem & mensuram hominis, quam ex seipso habet; ergo non permittet hominem quidquam magni agere, conari, vel appetere; quia omne bonum luperat hanc proportionem; ac proinde impedit præcipuam functionem magnanimitatis.

Respons. Respondeo, Non posse hominem quidquam appetere, vel conari, tamquam ipse per ea quæ præcisè ex se habet, eo sit dignus, aut illud possit efficere: potest tamen, quatenus per id quod accipit à Deo, sufficientem ad illud proportionem habet. Hinc fit vt is, qui ex se est humillimus, ex dono Dei sit summè magnanimus. Et enim ex se nihil possit, nulloque bono aut honore dignus sit; tamen ex dono & auxilio Dei plurima potest, (iuxta illud Apostoli: *Omnia possum in eo, qui me confortat*) & maximis bonis honoribusque dignus est, & se dignum iudicat. Declarat hoc Gregorius lib. 6. in 1. Regum cap. 3. explicans illa verba cap. 16. *Adhuc reliquus est paruulus, & pascitur oues.* Merito, inquit, paruulus iste dicitur oues pascere, quia electus quisque humilis est, & sterilis non est; quia quotidie magna agit, sed de se magna non sentit. Merito ergo non solum paruulus, sed pastor asseritur; quia qui verè humiles sunt, foris se deiciunt, sed per interuam societate in summis & æternis pascuis immorantur; nam scriptum est; *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Quæ autem gratia, nisi vt summa videant & cognoscant, cognoscant & diligant, atque ad ipsa delecta quasi fortes & pingues currant.* Idem cernitur in omnibus beatis. sunt enim & ex se humillimi, & ex donis Dei summè magnanimi. Imò nulli sunt magis magnanimi, quàm illi qui verè sunt humiles. Cùm enim non suis viribus, sed Dei tantum auxilio, cui se penitus subiecerit, nitantur, eiusque omnipotentiam & bonitatem assidue cogitent; nihil est quod hac ratione illis impossibile aut valde arduum appareat; ac proinde etiam quiduis aggredi, cùm honor Dei postulat, non dubitant. Exemplo nobis sunt maximi quique Sanctorum, & in primis Apostoli, qui stupenda, Deo confisi, sunt aggressi, & perfecerunt. Itaque humilitas non reddit segnem, aut timidum, aut pusillanimum, sed ad veram animi magnitudinem disponit, mundi magnanimitas, quia suis viribus nititur, superbia potius est, quàm magnanimitas.

52. **Fundamentum humilitatis.** Ex dictis colligi potest Primò, Fundamentum humilitatis esse notitiam sui, quæ vt sit perfecta, postulat etiam cognitionem Dei; vnde fit vt coniunctissima sint humilitas & charitas: sicut cognitio sui & cognitio Dei non possunt à se inuicem separari. humilitas enim sequitur cognitionem sui, charitas cognitionem Dei. Itaque rectè dictum à D. Augustino: *Nouerim te, nouerim me; vt amem te, & contemnam me.*

Secundò, Hanc virtutem esse non in intellectu, sed in voluntate. Inclinat enim voluntatem vt se intra mensuram sui suppositi contineat, nec ad aliquid per motum spei vel desiderij supra illam feratur.

Tertiò, Obiectum huius virtutis esse id, quod congruit nostræ vilitati. hoc enim est quod per humilitatem & interius appetitur, & exterius agitur.

Dices hoc non esse appetibile, esse enim vile vel probrosum, non est bonum neque laudabile, ac proinde non potest esse obiectum virtutis; quod debet esse honestum & honore dignum. Hæc res non videtur satis à Doctoribus explicata.

Respons. Respondeo tamen, Id quod vile est, non esse quidem per se expectandum, aut honestum; posse tamen sub alia consideratione, honesti rationem induere. Primò, Si spectetur vt est congruens nostræ conditioni: honestum enim est amplecti sibi congruentia. In hac tamen congruentia non consistit totum bonum & honestum humilitatis: non enim per se est magnæ laudis vilem vilitatem amplecti, quod hæc ipsi congruant. Itaque adhuc vltior ratio formalis requiritur, respectu cuius prior illa se habeat in partem fundamenti quasi materialiter. Secundò igitur, Id quod vile est, seu amplecti vilitatem, potest honesti rationem induere, vt est professio quadam seu testificatio nostri nihili, qua profitemur nos ex nobis nihil boni habere, nihil posse, nihil esse: & consequenter omne bonum nostrum esse ex Deo, ad ipsum veluti auctorem omnia referenda, in ipsum omnem laudem & honorem, qui nobis tribuitur, refundendum. Hoc ipso enim quo nostram vilitatem profitemur, tacite etiam significamus omne bonum nostrum Deo assignandum. Sub hac igitur ratione vilitatis & probrota sunt obiectum humilitatis, quatenus nimirum per illa nostram fortem, & tacite diuinam in nos benignitatem testatur: quod sanè honestum est, & valde laudabile; tum quia est professio veritatis, maxime in vita necessaria: iuxta illud; *Nosce te ipsum:* tum quia id redundat in honorem Dei, vt dictum est.

Quarò, Hinc patet, humilitatem sic rectè definiri: *Humilitas est virtus inclinans nos ad nostram vilitatem signis vel factis profitendam.* Signis siue internis, siue externis; vt locutione spiritali, vel corporali submissione corporis, prostratione humi, genuflexione, &c. *Factis*, vt humilibus obsequijs, humili loco, humili sodalitario, &c.

Nec obstat, quod humilitas non solum inclinaret in hanc professionem, vt procedit ab ipsius supposito, sed etiam amet illam vt procedit ab alio, & auerteretur quod illi est contrarium: (humilis enim non solum se ipse vilipendit, & variis modis suam vilitatem testatur; sed etiam gaudet & amat contemni ab alijs, & laudari dolet.) Hoc, inquam, non obstat: quia virtus bonum sui obiecti amat non solum in suo supposito, sed etiam in quouis alio, & vbi cumque illud inuenit, quamuis primariò in illud inclinaret, vt à proprio subiecto procedit.

Iuxta hanc definitionem facile est omnes supradictos actus humilitati assignare, & ostendere quomodo ab ea procedant. in omnibus enim illis est professio suæ vilitatis, vel certè inclinatio & amor in illam, iuxta modum nunc explicatum.

Quintò, Colligitur, humilitatem esse virtutem valde excellentem. Primò, Quia inclinatur ad subiciendum nos Deo in omnibus, & nostris superioribus tamquam Dei instrumentis. Cùm enim

Obiectum humilitatis.

53

Obiectio.

Respons.

Quo modo illud obiectum sit expectandum & honestum.

54

55

Excellentia

humilitatis.

incli-

inclinat generatim ad omnia, quibus nostram vilitatem testamur, maxime inclinatur in hanc subiectionem, per quam vniuersalius nostrum gradum profitemur. Hoc modo intelligendus est diuus Thomas articulo 4. cum excellentiam humilitatis in eo constituit, quod ordinationi iustitie legalis faciat hominem bene subiectum in vniuersali quantum ad omnia; cum qualibet alia virtus moralis id faciat solum quantum ad aliquam materiam specialem. Secundò, Quia, vt dictum est, eo ipso, quo profitemur nostram vilitatem, & nihil boni nos habere ex nobis, implicite testamur omne bonum nostrum esse à Deo; & ita Deum honoramus.

Itaque humilitas inclinatur ad quosdam actus, qui tacitam continent religionem, cum implicite Deum honorent; etsi non ex formali affectu religionis procedant. sicut enim actus Religionis primariò & formaliter continent professionem diuinæ excellentiæ, secundariò verò & quasi materialiter professionem nostræ vilitatis, & vt ita dixerim, infirmitatis: ita è contrario præcipuus actus humilitatis (qui est vilipensio sui, & veluti annihilatio coram diuina maiestate) continet formaliter & primariò professionem nostræ vilitatis; secundariò verò & ex consequenti, professionem diuinæ excellentiæ. Tertio, Denique signum excellentiæ virtutis huius est, quod Philosophi eam non agnouerint. Non enim intellexerunt, nisi fortè per paucos, quomodo homo nihil ex se boni, sed solum defectum & malum habeat: & quo modo omne bonum ex liberali Dei munere dependeat.

56 Aduerte tamen, hanc virtutem non esse præstantiorem Theologicis; quia hæc proximè nos Deo coniungunt: neque religione; quia præstantius est Deum colere, eique honorem & reuerentiam exhibere, quam suam abiectionem profiteri, & cohibere se ab inordinato affectu excellentiæ. Ob eandem causam non est præstantior obedientia; quia hæc bene ordinatur ad totam legem, illum legi conformans: neque Iustitia legali; quia vel hæc non distinguitur ab obedientia, vt supra lib. 2. cap. 1. dubit. 5. ostensum est: vel si distinguitur, respicit bonum commune, & ad omnia, quæ ad bonum commune pertinent, rectè nos ordinat. Humilitas verò non conformatur nos formaliter legi, neque intendit bonum commune; sed facit hominem bene subiectum Superiori, & ordinationi tum legis tum Iustitiæ legalis, vt diuus Thomas art. 5. in corp. indicat. Est tamen præstantior fortitudine & temperantia, vt docet Caietan. art. 5. sub finem, ex sententia D. Thomæ; quia in illa maius bonum rationis cernitur. reddidit enim humilitas hominem subditum & patulum bono rationis, non in hac vel illa materia, sed vniuersè: quod est præstantius quam rectè se habere circa pericula mortis vel voluptates tactus. Ob eandem rationem videtur etiam præstantior Iustitia particulari, etsi Caietanus dissentiat. Notandum tamen, has virtutes non posse exactè inter se comparari, cum habeant proprias excellentias diuersorum generum, quibus se mutuo excedunt, & exceduntur. vnde quæ vna ratione videtur præstantior, altera est inferior.

57 Incitamenta humilitatis præcipua sunt tria. Primum, Ratio veritatis. hæc enim si ad eum libellam nos appenderimus, quodammodo ad hu-

ilitatem nos cogit. Quis enim dum suam vilitatem, prauitatem, imbecillitatem, suamque nihilum intuetur, se magni aestimare queat? vt supra ex D. Bernardo ostensum est.

Secundum, Exemplum Christi, qui etsi omnium esset summus, tamen in natura humana fuit humillimus, Matth. 11. *Tolite iugum meum super vos; & discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Vbi allicit omnes ad suam capeffendam disciplinam, ex eo quod cum ipse sit mitis & humilis, consequens etiam est, vt eius disciplina, eiusque iugum suaue sit & onus leue: mitis enim & humilis aspera & intolerabilia non imponit. Diuus Augustinus lib. 14. de Ciuit. cap. 13. *Nunc in ciuitate Dei & ciuitati Dei in hoc seculo peregrinanti maxime commendatur humilitas; & in eius rege, qui est Christus, maxime predicatur, contrariumque huic virtuti elationis vitium in eius aduersario, qui est diabolus, maxime dominari Sacris literis edocetur.* Hæc humilitas mirificè elucet in tota eius vita & passione, tamquam in absoluto quodam exemplari. Vnde merito Ecclesia in Collecta dicit, *Deus, qui ad imitandum humilitatis exemplum, Saluatorem nostrum carnem sumere & crucem subire fecisti, &c.*

Dices, Non videtur Dominus verè humilis fuisse interno iudicio, sed solum externa conuersione. humilitas enim supponit iudicium vilitatis & imperfectionis sui: atqui Dominus non poterat se vilem aut imperfectum iudicare. Confirmatur ex diuo Bernardo Sermone 42. in Cantico. *Ipsè, inquit, se exinanuit, ipse se humiliavit, non necessitate iudicij, sed nostri charitate, poterat nimirum vilem se & contemptibilem demonstrare, sed planè non reputare, quoniam sciebat se ipsum. Voluntate proinde humilis fuit & non iudicio, qui talem se obtulit, qualem esse nesciuit: magis autem placuit minimum reputari, qui se summum non ignorabat.*

Respondet, Dupliciter posse quempiam se vilem & contemptibilem iudicare. Primò, Absolutè; vt cum quis iudicat se esse peccatorem, posse peccare, esse dignum probro & supplicio. Secundò, Ex parte & secundum quid, nimirum consideratis ijs quæ præcisè à se, & non à Deo habet. Priore modo humanitas Christi non iudicabat se ipsam vilem, quia sciebat suam excellentiam, quam ex vnione Verbi habebat, & ratione illius se omni honore esse dignam. Hoc modo intelligendus est Bernardus cum ait, Dominum non fuisse humilem iudicio, sed affectu. Vnde paulò post subdit: *Non enim quo modo ego vel tu inuenimus nos in veritate dignos dedecore & contemptu, dignos omni extremitate & inferioritate, dignos etiam supplicij, dignos plagis: non, inquam, ita & ille, que tamen omnia expertus est quia voluit, tamquam humilis corde.*

Altero modo poterat se vili, imò nihili reputare. Sciebat enim illa illuminatissima humanitas se nihil ex se boni habere, sed omne suum bonum à diuinitate provenire: imò si à diuinitate, cuiusque donis desereretur, se relapsuram repente in ignorantiam, pronitatem peccandi, atque adeò in peccatum, & posse damnari: subtrac-to quoque influxu illo substantiali, quo conseruatur; se in suum nihilum redituram. Itaque hac ratione diuinitati se profundissimè submittit, eique omne suum bonum acceptum refert, in eam omnem hono-

1. Professio veritatis.

2. Exemplum Christi.

Obiectio. An Dominus fuerit humilis interno iudicio.

Dupliciter potest quia se vilem iudicare.

Comparatio eius cum alijs virtutibus.

Incitamenta humilitatis.

honorem & gloriam sibi exhibitam refundens. Ex simili consideratione est humilitas in sanctis Angelis, & Beatis. Vnde & coronas suas mittunt ante thronum, dicentes: *Dignus es Domine Deus nosse accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt*; vt Apocal. 4. dicitur. Verum sicut Christi humanitas antecellit omnibus cognitione diuinitatis, & consequenter charitate: ita etiam cognitione sui, & dependentiæ, quæ ipsa cum omnibus donis suis à Deo dependet; ac proinde etiam vera humilitate, quam etiam præ omnibus declarauit, humiliando se vsque ad mortem crucis, & ad omnes illas indignitates, quas Iudæi intulerunt.

58
3. Quia virtutum fundamentum.

Tertium, Quia humilitas est fundamentum virtutum. *Virtutum*, inquit D. Bernardus libro 5. de consideratione, in fine, *bonum quoddam & stabile fundamentum est humilitas*. D. Augustinus libro 1. de Verbis Domini, Serm. 10. *Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis*. Et infra: *Hoc in te fodi fundamentum humilitatis, & peruenies ad fastigium charitatis*. Diuus Basilius Constitut. Monastic. capite 17. dicit *humilitatem esse ἡνωστροφικῶν virtutum*, quo virtutes tutissimè custodiantur. Est fundamentum virtutum non quidem directè & principaliter; (sic enim sola fides est supernaturalium virtutum fundamentum, iuxta illud Apostoli ad Hebræos 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est.*) sed indirectè & dispositiue. Indirectè quidem, quatenus remouet virtutum impedimentum, quod est superbia. Dispositiue verò, quatenus facit hominem Deo subditum, ac paratum ad eius gratiæ influxum recipiendum, qui est virtutum semen, origo, & conferuatio.

Vtrumque insinuat diuus Iacobus in sua Epistola capite 4. *Deus, inquit, superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Si Deus illis resistit: non ergo dat illis gratiam. Impedit igitur superbia influxum diuinæ gratiæ: & consequenter virtutum studium, quod sine auxilio gratiæ constare nequit. Humilitas verò influxum illum attrahit, excipit, & colligit. Vnde D. Augustinus Serm. 27. de Verbis Domini: *Confluit aqua ad humilitatem vallis, denat de tumoribus collis*. & Serm. 157. de tempore: *Videte magnum miraculum. altus est Deus; erigis te, & fugit à te: humilias te, & descendit ad te. quare hoc? quia excelsus Dominus, & humilia respicit vt attollat: alta, id est superba, de longe cognoscit vt deprimat*. vide eundem de Sancta virginitate, capite 39. Præterea humilitas sicut facit vt homo seipsum vilipendat, ita etiam omnia terrena parui facit æstimari: atqui æstimatio terrenorum maximè impedit studium virtutis: tollit igitur humilitas virtutum impedimentum. Denique sola humilitas euadit omnes diaboli laqueos, quibus totum mundum plenum vidit beatus Antonius, per quos virtutes eliduntur & perimuntur. habet autem hoc, partim quia subiecit hominem Deo, facitque illum niti in omnibus diuino auxilio, partim quia affectum auocat ab omnibus illis, quorum obiectu diabolus tentationes solet excitare.

DUBITATIO VIII.

Quid sit superbia, & quomodo ab alijs vitijs distinguatur. Item de nimia sui abiectioe.

D. Thomas quæst. 162.

HMilitati opponuntur duo extrema vitia; 59
Superbia, per excessum; & nimia sui abiectio, per defectum.

Superbia dicitur à *super* & *eo*: quòd supra suam mensuram eat, iuxta illud Psal. 130. *Neque ambulauit in magnis, neque in mirabilibus super me*.

Definitur à D. Augustino lib. 14. de Ciu. cap. 3. *Definitio*. *Quid est, inquit, superbia, nisi peruersa celsitudinis appetitus?* & à Prospero sententia 292: *Superbia est amor excellentiæ propriæ, nempe inordinatus*.

Peruersam celsitudinem vocat, non quæ in seipsa, sed quæ respectu appetentis peruersa sit; eò quòd ipsi non congruat. Vnde cum dicitur, *peruersa celsitudinis appetitus*, idem valet ac si diceretur, *appetitus peruersè excellendi*. superbus enim appetit excellere, sed peruerso modo, id est, qui sit contra rectam rationem. vnde & ipse appetitus peruersus est. Si enim obiectum est prauum, etiam appetitio eius praua est.

Sed difficultas est quo modo excellentia hîc accipiatur, absolute an relate; id est, vtrum superbia sit appetitus excellendi absolute, an solum præcellendi alijs. Martinus, vt refert Caietanus, putat, superbum solum appetere præcellere alijs; vnde definit superbiæ *amorem excellentiæ despectiue*, id est, quo ita amat excellere, vt alios præ se contemnat. Sed verius est, superbiæ ad hoc non esse restringendam, vt rectè ostendit Caietanus. Potest enim quis esse superbus, etsi nemini explicitè se præferat. Superbia enim est æquare se maioribus, & non solum illis se præferre; quamuis implicitè in actu superbiæ semper aliqua contineatur prælatio. Effert enim se supra se, ac consequenter supra alios eiusdem sortis: vnde fit, vt quotiescumque se cum æqualibus confert, se illis etiam expressè præferat. sed de implicita illa prælatione hîc non est quæstio. explicita verò non habet locum nisi in quibusdam actibus. Itaque obiectum superbiæ adæquatum, est excellentia in Excellentia genere, vt extendit se ad excellentiam absolutam in genere & relatiuam, ab vtraque tamen per se abstrahens; est obiectum superbiæ. sicut obiectum Metaphysicæ est ens communiter se habens ad absolutum & relatiuum, vt inquit Caietanus.

Dices, Etiam quædam alia vitia spectant excellentiam tamquam obiectum. *Præsumptio*, in functionibus: inclinatur enim ad functiones, quæ proprias vires superant: *ambitio*, in dignitatibus & honoribus, tendens ad dignitates proportionem subiecti excedentes: denique *cenodoxia* in fama & gloria. Virtus quoque *magnanimitatis* in iisdem rebus magnitudinem & excellentiam spectat: inclinatur enim ad excellentes functiones, ad excellentes dignitates & honores, ad excellentem famam & gloriam, vt patet ex dictis supra lib. 3. c. 2. dubit. 3. Quo modo ergo ab his distinguatur superbia; cum hæc quoque excellentiam spectent & pro obiecto habeant?

Respondeo, Superbiæ ab istis vitijs distinguatur, *Respon-*
gui,

qui, quod ipsius obiectum sit in genere excellentia personae: istorum verò excellentia non personae, sed functionis, vel dignitatis, vel famae, applicata nimirum ratione excellentiae & magnitudinis ad certam materiam. Quod vt melius intelligatur,

61 *Tripliciter suppositum comparatur ad virtutem & vitium.* Notandum est, personam posse tripliciter ad virtutes & vitia comparari. Primò, vt subiectum. Secundò, vt obiectum. Tertio, vt mensuram obiecti, siue vt terminum commensurationis illius, quae in obiecto spectatur. Primus modus est communis omnibus virtutibus & vitiis. Persona enim seu suppositum se habet ad omnia tamquam subiectum, cum ipsa nihil sint aliud quam bona vel mala dispositio suppositi ad suum opus. Tertius modus est communis respectu omnium virtutum & vitorum, in quibus medium constituitur in obiecto ex ordine ad proprium suppositum; vt in temperantia, quae inclinatur ad cibum & potum secundum eam mensuram, quae congruit supposito: & in magnanimitate, quae inclinatur ad magnas virtutum functiones; tamen iuxta mensuram propriae personae. praesumptio verò inclinatur ad magnas functiones, sed supra personae mensuram. intemperantia ad cibum & potum, sed supposito non commensum. Secundus modus est proprius superbiae & humilitatis, haec enim respiciunt suum suppositum per modum obiecti: superbia enim intendit illius exaltationem, humilitas depressionem. Vnde in definitione superbiae signate dicitur *Excellentia propriae*, id est, quae primò & per se circa personam consideretur. Confirmatur, quia per superbiam ipsa persona sese inflat & extollit; & si quid in operibus externis magni vel splendidi faciat, huc refert, nimirum vt ipsa magni fiat. Itaque generatim excellentia personae est obiectum superbiae: praesumptionis verò obiectum est excellentia operis: ambitionis excellentia in dignitate: & inanis gloriae in famae opinione.

Nascuntur ex superbia.

Aduerte tamen, haec vitia non ita distingui à superbia, quin ipsius sint fructus qui ex ipsa nascuntur, eamque supponant. Nam ex inordinato appetitu excellentiae personae fit, vt quis aggrediatur opera praesumptuosa, & ad magnas dignitates honoresque supra suam proportionem adspicit. Ideò enim haec appetuntur, vt ipsum suppositum excellens videatur. itaque ex affectu superbiae procedunt, & ad illius finem ordinantur: & sic ad superbiam pertinent, saltem tamquam actus imperati, ex natura rei illi maximè coniuncti. Magnanimitas manifestè à superbia distinguitur; tum quia non appetit principaliter magnitudinem personae, sed operis; tum quia magnitudinem illam non appetit, nisi secundum praescriptum recte rationis, & commensuratum ad proprium subiectum; quorum vtrumque contrario modo se habet in superbia.

62 *Fundamentum superbiae.*

Porro vt natura & functiones superbiae melius intelligantur, Notandum est, quod sicut humilitas supponit considerationem suae imperfectionis, & ex ea oritur: ita superbia considerationem suae perfectionis (sub qua intellige quidquid vilo modo ad excellentiam facit) & ex hac consideratione nascitur. Dum enim quis suam perfectionem considerat, dissimulatis imperfectionibus, & non aduertit se illam à Deo habere, videtur sibi multò excellentior quam reuera sit: sicut

& merces praestantiores videntur emptoribus, quando vitia non considerant. Nam purum bonum multò est excellentius, quam imperfectionibus permixtum. Hinc nascitur amor istius excellentiae apprehensa, quò illa placet homini, & homo propter illam sibi plus quam oportet: ex his verò aestimatio sui, qua pluris se facit quam oportet. Atque hic est primus superbiae actus in animo completus. Sicut enim primus actus humilitatis est vilipensio sui: ita primus superbiae est magnipensio sui, qua quis seipsum aestimat supra id quod est: qui actus non consistit in solo iudicio vel apprehensione, sed etiam in affectu, quo erga se tamquam quid magnum afficitur, & talem quodammodo se facit, qualem apprehendit. Vnde superbus dicitur seipsum inflare, tumefacere, exaltare: quia quantum in se est, affectu & apprehensione, vt affectui seruit, maiorem se facit & celsiorem quam re ipsa sit. Dixi, esse *primum actum completum*, quia affectio illa voluntatis, quae praecedit hanc aestimationem, non est actus completus, à quo quis dicitur superbire & se eleuare, sed est inclinatio interna ad actum completum, sicut inclinatio Religionis ad cultum Dei non est actus completus Religionis, sed ipse actus colendi. est igitur hic ordo actuum animi. Primò, Est consideratio perfectionum coniuncta cum defectu considerationis imperfectionum, & dependentiae à Deo. Secundò, Apprehensio maioris excellentiae quam insit. Tertio, Amor illius, seu simplex complacentia. Quarto, Aestimatio sui ex illa apprehensione & amore orta. Amor enim accedens illi apprehensioni, facit excellentiam maiorem videri & pluris aestimari.

Primus actus completus superbiae.

Haec igitur aestimatio sui, est Primus actus superbiae completus, & fundamentum ceterorum qui superbiae tribuuntur.

Secundò, Hinc sequitur, vt aestimet se dignum & idoneum rebus magnis, suamque mensuram excedentibus.

Tertio, Vt inordinate appetat dignitates, & alia quae ad excellentiam pertinent, tamquam sibi congruentia.

Quarto, Vt ab alijs quoque velit magni fieri, honorari, & laudari.

Quinto, Si videat id se non obtinere, indignatur, irascitur, dolet.

Sextò, Conferendo se alijs, censet se meliorem, doctiorem, potentiorem, &c. vnde & alios contemnit, & quae ab alijs fiunt parvipendit. Ad suos enim defectus clausos habet oculos, & ad suas perfectiones apertos: contrario verò modo gerit se in ijs quae sunt proximi. Hinc fit vt sua pluris aestimet, & praeferat rebus proximorum, & se ipsum personae proximi.

Septimò, Recusat se subicere Superioribus, quasi id ipso sit indignum: persuadens sibi, se illis esse prudentiorem, & melius seipsum gubernaturum.

Octauò, Recusat etiam se Deo subicere, apprehendens illud tamquam sit contra suam dignitatem, &c. volens suo arbitratu viuere, quali Deo opus non habeat. Hi actus huius vitij, & hoc ferè ordine ab illo procedunt.

Ex dictis colligitur, hoc vitium esse speciale. 63 *Est vitium speciale.* habet enim speciale obiectum per quod à ceteris distinguitur, vt ostensum est; & speciales functiones, quas modò recensuimus, quadam ta-

Generale
tamen cau-
salitate.

Directè.

Indirectè.

men ratione potest dici vitium generale, nimirum potestate cauſandi; quatenus ex ſuperbia quoduis peccatum naſci poteſt. Id autem fieri poteſt dupliciter, vt explicat diuus Thomas art. 2. Primò, Directè, vt ſi quis peccet eo fine vt videatur excellens, & neminem curare, neminem timere. tunc enim directè ex affectu ſuperbiæ illud peccatum imperatur. Secundò, Indirectè, & quaſi per acci- dens, ſcilicet remouendo prohibens, quatenus ſemel per ſuperbiam diuina lege, qua à peccando prohibebatur, abiecta, veluti remoto frano, faciliſ eſt homo in quoduis peccatum ruere, iuxta illud Ieremia 2. *Confregiſti iugum, rupiſti vincula, dixiſti, Non ſeruiam.* priore modo peccatum eſt ex contemptu; hoc verò, ex affectu voluptatis, com- modi, honoris, &c. His adde, quadam ratione poſſe dici generali eſſentia & attributione; quia omne peccatum tacitam quamdam ſuperbiam continet ipſo opere; magna enim eſt præſumptio, audere Deum offendere, & veluti contra ſe la- ceſſere, non timere fulmen maledictionis, non curare præſentem maieſtatem. Simili modo om- ne peccatum eſt quidam Dei contemptus inter- pretatiuus.

64.

Alterum vitium humilitati oppoſitum eſt *inor- dinata ſui abiectio*. Humilitas enim etſi inclinatur ad ſui abiectiõnem, non tamen quouis modo, ſed prudenter; nimirum, cum ijs circumſtantijs, qui- bus debet. debet enim ita fieri vt non redundet in iniuriam ſtatis, vel officiij quod geris, vel talenti quo præditus eſt; aut in eorum incommodum qui- bus prodeſſe poteſt vel debes. Si ergo aliqua talis circumſtantia deſit, erit vitium humilitati oppo- ſitum per defectum; quatenus nimis parum tuam dignitatem & excellentiam curas: vt ſi ſacerdos ſubiiciat ſe iudicio ſæculari: ſi Superior flexis ge- nibus petat veniam ab inferiore: ſi Episcopus præ- ponat ſibi ſacerdotem vel diaconum, &c.

Quomodo
opponitur
humilitati.

Dices, Talis abiectio ſui videtur opponi humi- litati per exceſſum: nimirum enim ſe humiliat.

Reſpondeo, Humilitatem dupliciter poſſe con- ſiderari. Primò, Quatenus refrænatur appetitum excellentiæ; & hoc modo *ſuperbia* ei opponitur per exceſſum; nimia verò *abiectio* per defectum. Sicut enim *ſuperbia* nimium appetit ea quæ ad excellentiam pertinent; ita nimia ſui abiectio nimis parum. Humilitas verò inter hæc extrema medium rationis tenet. Secundò, Quatenus in- clinatur ad ea, quibus ſuam vilitatem proficitur. hoc modo nimia ſui abiectio opponitur humili- tati per exceſſum, *ſuperbia* verò per defectum. quamuis deformitas *ſuperbiæ* magis conſiſtat in nimio excellentiæ appetitu, quam in humilitatis defectu.

An perti-
nent ad pu-
ſillanimita-
tatem.

Nec obſtat quòd nimia ſui abiectio videatur pertinere ad puſillanimitatem, quæ opponitur non propriè humilitati, ſed magnanimitati: quia ſi fiat ex nimio affectu ad ſe demittendum, opponitur humilitati: ſi verò ex nimia honoris, tamquam rei nimis magnæ, fuga, opponitur magnanimitati, & pertinet ad puſillanimitatem. quale autem hoc ſit peccatum, patet ex dictis libro 3. c. 2. du- bit. 3. æſtimandum enim eſt ex iniuria quæ fit ſta- tui, & incommodo quod ſequitur, &c.

D V B I T A T I O I X.

De ſpeciebus ſuperbiæ, & quale peccatum ſit ſuperbia.

D. Thom. art. 4. & ſeqq. quaſt. 162.

Diuus Gregorius lib. 23. Moralium c. 7. qua- tuor ſpecies ſuperbiæ conſtituit. *Quatuor*, in- quit, ſunt ſpecies, quibus omnia tumor arrogantium demonſtratur: cum bonum aut à ſemetipſis habere ſe æſtimant; aut ſi ſibi datum de ſuper credunt, pro- ſuis ſe hoc accepiſſe meritis putant; aut certe cum ia- ctant ſe habere quod non habent; aut deſpectis ceteris, ſingulariter videri appetunt habere quod habent. Ratio harum ſpecierum eſt. *Superbia* conſiſtit in eo quòd homo ſe æſtimate excellentiorem quam re- uerè ſit: hoc autem fieri poteſt tripliciter. Primò, Si putet ſe eſſe cauſam ſui boni: magni enim re- fert ad excellentiam, ſi ſua induſtria vel meritis bonum illud ſit conſecutus. Secundò, Si putet ſe habere bonum, quod non habet. Tertio, Si putet ſe habere tam excellenti gradu, vt id, quod eſt in ceteris, quaſi nihili reputer reſpectu boni ſui. Et quidem ſi putet ſe cauſam ſui boni; vel cenſet ſe cauſam illius phyſicam, (v. g. ſe induſtria, in- genio & labore ſuo id comparafſe, cum aliunde acceperit) & ſic erit prima ſpecies: vel cauſam meritoriam; & ſic erit ſecunda ſpecies. Si putet ſe habere bonum quod non habet, vel in eo ſitam excellentiam quæ non eſt, & inde ſe extollat, erit tertia ſpecies. Denique ſi putet ſe illud habere tam excellenti gradu, reſpectu aliorum, vt illorum bo- na non videantur ipſi cum ſuo poſſe conferri, erit quarta ſpecies.

Vbi aduertit, non eſſe neceſſarium ad iſtas ſpe- cies, vt quis apud animum ſuum ſeridè iudicet ſe bona à ſe habere, aut ſuis meritis abſque Dei gra- tia obtinuifſe: (ſic enim deberet eſſe hæreticus) ſed ſatis eſt vt apprehendat illa tamquam ſua & à ſe dependentia, abſque formali iudicio, & ſimul non conſideret quo modo illa acceperit. tunc enim poterit ſe ita gerere, & in animo ſe extollere, ac ſi ſola ſua induſtria haberet: vt patet in paupere, qui alie- nis opibus aſſatim fruens, non aliter ſe effert, quam ſi eſſent ſuæ, vel ſua induſtria partæ. quia non meminit, vel certè non aduertit eſſe beneficium alterius; quamuis expreſſè id non neget, nec con- trarium indicet.

Dices, Si indignus affectet Doctòratum vel Episcopatum propter dignitatem, committit pec- catum ſuperbiæ, & tamen in nulla dictarum ſpe- cierum; ſimiliter ſi tanti Doctòratum iam obten- tum faciat, vt malit peccare moriferè quam illum gradum perdere.

Reſpondeo, Priorem modum pertinere ad ter- tiam ſpeciem. Dum enim adſpirat ad gradum quo eſt indignus, intumeſcit de bono quod non ha- bet: quia effert & gerit ſe tamquam idoneum, eum ſit ineptus. De altero modo reſpondet Caietanus, eum non comprehendere ſpeciebus enumeratis; eò quòd in illo non ſit inordinatio ex parte obiecti, ſed ſolum ex parte appetentis: ſpecies autem iſtæ ſunt aſſignatæ ex parte obiecti. Poſſet tamen re- ferri ad tertiam ſpeciem: quia qui tanti facit gra- dum, tribuit illi excellentiam, quam reuerè non habet. Sicuti cum diues ſeſe effert propter diui-
tias,

tias, & parem facit aliis sapientia vel sanctitate conspicuis, tribuit sibi per diuitias sua aestimatio-
ne quod non habet in veritate.

67
Possunt
singula
quatuor
modis exer-
sari.

Notandum est, supradictas species singulas
posse quatuor modis exerceri. Primò, Si astitimes
bonum tuum iuxta aliquam istarum specierum in
animo tuo, & ibi te extollas, verbi gratia, te illud
industria tua parasse, vel ex meritis te per hoc
longè præstare.

Secundò, Si velis vt ita etiam aestimetur in ani-
mo alterius.

Tertiò, Si coneris illud ipsum opere declarare:
vt, si ita te opere externo geras, ita loquaris, ac si
illud bonum tali modo, tali gradu ac perfectione
haberes.

Quartò, Si aduertens te tali modo non habere,
opes saltem ita habere vt inde te possis extollere
& gloriari: item si desideres id aliis esse persua-
sum. vide aliqua in hanc sententiam apud Toletum
lib. de Septem peccatis mortalib. c. 4.

68
Quale pec-
catum sit.

Quod ad alteram partem dubitationis atinet,
quale peccatum sit superbia: D. Thomas art. 5. docet
ex genere suo esse peccatum mortiferum; &
art. 6. docet esse grauissimum peccatorum. Sed hoc
intelligendum est de superbia in gradu comple-
to, quæ omnem humilitatem & subiectionem ex-
cludit; vt cum quis tantum sese effert, vt nolit et-
iam Deo & legi diuinæ esse subiectus, qualis est
in diabolo, & in hominibus quibusdam pessimis.
Hæc sola est superbia completa: quia quamdiu
homo vult manere Deo subiectus, adhuc habet
aliquid humilitatis, ac proinde superbia eius est
adhuc imperfecta.

Superbia
completa.

Grauis-
simum pec-
catum.

Dicitur grauissimum peccatorum, non quòd
inter omnes peccatorum species sit grauissimum,
cum odium Dei sit grauius: sed quia ad genus
grauissimorum pertinet, nempe eorum in quibus
auerfio à Deo est directè volita. Itaque dicitur
grauissimum respectu eorum in quibus auerfio
solum censetur volita interpretatiue; vt sunt quæ
ex ignorantia, infirmitate, vel alicuius boni tem-
poralis amore committuntur: vt rectè D. Thomas
art. 6. docet. Quòd autem auerfio directè sit voli-
ta in superbia, patet; quia nolle subijci Deo, est di-
rectè auertere voluntatem ab eius subiectione,
& consequenter ab eius obedientia & regimine,
ac nolle illum habere superiorem ac rectorem.
Prouenit autem hæc auerfio ex amore peruersæ
excellentiæ, quam affectat per hoc, quod est esse
planè liberum & sui iuris: cui libertati repugnat
omnis subiectio. itaque recusat subiectionem,
quatenus hæc repugnat excellentiæ libertatis,
quam querit. Potest etiam ista auerfio prouenire
extra in Deum, vel odio; sicut ex iisdem causis
potest quis reculare subiectionem alicuius Prin-
cipis terreni.

Si verò loquamur de superbia incompleta, hæc
non semper est peccatum mortale, nisi quatenus
nobis est causa alicuius peccati mortalis; verbi
gratia, violandi alicuius alterius præcepti diuini,
vel subtrahendi se ab obedientia Ecclesiæ aut alter-
ius Superioris, vel in integrum, vel ex parte; quo-
ad aliquod præceptum obligans sub mortali: vel si
fiat cum notabili iniuria aut contemptu proximi.
Extra hos casus superbia solum est peccatum veni-
nale. vt docet Nauarr. c. 23. numero 6. Toletus de
peccatis mortal. c. 4. Caietan. v. Superbia, & pas-

sim alij. nam in genere pluis se facere quàm opor-
teat, per se non est grauis inordinatio. Est tamen
hoc peccatum valdè periculosum; quia facilè
parit contemptum aliorum, & inobedientiam er-
ga Superiores, redditque hominem ineptum ad
bonam instructionem capeffendam, & ad func-
tiones aliarum virtutum, quæ absque humilita-
te vix fiunt.

Notandum est, Superbiam esse primum mundi
peccatum: Ecclesiastici 10. *Initium omnis peccati
est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledic-
tis, & subuertet eum in finem.* Et Tobiz 4. *Super-
biam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo domi-
nari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis
perditio.* nam primum peccatum fuit Luciferi, qui
peccauit superbiâ, diuinam similitudinem peruer-
sè appetendo. Colligitur Isaiz 14. & Ezechie-
lis 28. à peccato autem Luciferi reliqua manarunt
tum in alios angelos, qui etiam primò superbiâ
creduntur peccasse; tum in genus humanum, cuius
etiam primum peccatum superbia fuit, vt
communiter Theologi tradunt.

Nec obstat quòd 1. ad Tim. 6. *cupiditas omnium
malorum radix* dicatur; non enim vult Apostolus,
cupiditatem opum, de qua ibi loquitur, esse pri-
mum peccatum generis humani; sed ex hac cupi-
ditate omne genus peccati committi posse, & ple-
raque in genere humano reipsa committi, vt supra
lib. 2. c. 47. dub. 8. ostensum est.

Notandum Secundò, Superbiam à D. Grego-
rio libro 31. Moralium cap. 31. non annumerari
aliis vitiis capitalibus, sed poni reginam & ma-
trem omnium vitiorum, propter vniuersalem
eius influentiam, quam habet in omnia vitia; &
quia interpretatiue in omni vitio includitur; vt
superiori dubitatione ostensum est. Vnde Grego-
rius loco citato, *Tentantia, inquit, vitia, que in-
uisibili contra nos pralio regnanti super se superbia
militant, alia more ducum præcunt, alia more exerci-
tus sequuntur.* Et infra: *Ipsa namque vitiorum regi-
na superbia, cum deuictum plene cor ceperit, mox il-
lud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis
ducibus deuaftandum tradit.* Rursum infra: *Radix
cuncti mali superbia; prima autem eius soboles, sep-
tem nimirum principalia vitia, de hac virulenta ra-
dice proferuntur.* A quibusdam tamen, vt à Cassia-
no lib. 5. c. 1. numeratur inter vitia capitalia, eaque
octo statuuntur: sed modus Gregorij est magis
receptus.

Notandum Tertiò, Eadem esse ex parte nostra
superbiæ remedia, quæ humilitatis adiumenta;
præcipua tamen sunt hæc septem. Primum est,
Consideratio suæ vilitatis & miseriæ tum in ani-
ma, tum in corpore; quæ tanta est, vt vtrumque
nihil videatur aliud quàm omnis miseriæ & mali
lacuna: in corpus enim influit omnis miseria cor-
poralis; in animum, omnis spiritalis. Vnde meri-
tò quisque sibi dicat illud Ecclesiastici 10. *Quid
superbit terra & cinis?*

Secundum, Consideratio magnitudinis diuinæ,
ad quam omnia sunt instar nihili. Item perfectio-
nis Angelicæ, & quàm modica sint omnia nostra
ad illorum excellentiam.

Tertium, Quàm imperfecta sint & vilia ex qui-
bus superbumus. Quid enim sunt diuitiæ: lutum,
mixture terræ & aquæ. Quid scientia? opinio.
Fama? ventus. Gloria? fumus. Vita vniuersa? va-
por ad modicum parens: modica scintilla ad com-
mouen-

mouendum cor nostrum. *Omnis caro foenum, & omnis gloria eius quasi flos agri, Isaia 40.* Hæc tria infinuat D. Thomas art. 5. ad 1.

Quartum, Omnia bona, quæ habemus, esse Dei, gratis ab eo accepta, & precario possessa: unde & aufert illa quando placet.

Quintum, Superbiam esse vitium diabolicum, & notam eorum qui ad ipsum pertinent, id est, ciuitatis diaboli, qui dicitur rex *super omnes filios superbæ*, Iob 41. Vnde Apostolus 1. ad Timotheum 3. vetat ordinari neophytum; *ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli*: aperte infinuans, superbiam esse diaboli vitium. E contrario humilitas est propria virtus Christi, & eorum qui ad Christum pertinent; de qua re vide D. Augustinum lib. 14. de Ciuit. cap. 13. vbi docet, duas illas ciuitates, societatem nimirum iustorum & impiorum, & duos ipsarum duces, Christum & diabolum, his notis potissimum, superbia & humilitate, distingui.

Sextum, Superbiæ nocumenta; vt, quòd Deus superbis resistat, superbos disperdat & humiliet: vt bene explicatur Ecclesiastici 19. & plurimis constat Scripturæ exemplis: vt in Lucifero & lociis, in primis parentibus, in Pharaone, in Dathan & Abiron, in Saule, in Roboam, in Sennacherib, in Nabuchodonosor, in Holoferne, in Aman, in Antiocho, in Herode, &c. Item quòd diuinas inspirationes impediatur, & cetera, quæ supra infinuauimus, de quibus videri potest Cassianus libro 12. capite 27. Tantum enim malum est superbia, vt Deus ad illam curandam permittat interdum hominem cadere in alia peccata, vt agnita sua miseria humilietur. Vnde D. Augustinus loco citato, *Audeo, inquit, dicere, superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant. salubrius enim Petrus sibi displicuit quando stetit, quam sibi placuit quando presumpsit. Hoc dicit & facer P salmus: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.*

Septimum, Exercitium operum humilium: contraria enim contrariis optime curantur. Vide Callianum supra cap. 32. & 33.

D V B I T A T I O X.

De gradibus humilitatis, & superbiæ.

D. Thomas q. 161. art. 6.

72
Tres gra-
dua humi-
litas ex
parte obie-
cti cui.

Gradus humilitatis variis modis assignari possunt. Primò, Ex parte obiecti, cui ipsa se subiicit; sic Glossa in illud Matth. 3. *Sine modo; sc enim decet nos implere, &c.* constituit tres gradus. Primus est, Subdere se maiori, & non præferre se æquali. Secundus est, Subdere se æquali, nec præferre se minori. Tertius est, Subiicere se minori. Primus, inquit, est sufficiens; secundus abundans; in tertio est omnis iustitia. Per primum subiicimus nos omnibus Superioribus tam sæcularibus quam Ecclesiasticis, debitam obedientiam illis præstantes. Cum æqualibus verò socialiter & æquabiliter viuimus, nolentes illis præferri, aut maiores videri, nec ad nostrum sensum aut modum eos pertrahere.

Per secundum ita nos æqualibus subiicimus, vt eos nobis in animo præferamus, eos honoremus,

honoratiorem locum libenter concedamus, & facile in rebus honestis nos ipsis accomodemus.

Per tertium præponimus nobis inferiores, tum interius in animo; tum etiam exterius, quando id decorè fieri potest, libenter profitendo illos nobis doctiores, sanctiores, &c.

His opponuntur tres gradus superbiæ. Primus est, Præferre se minoribus, non simpliciter, sed cum supercilio & contemptu, quasi nihil sint respectu nostri, vel indigni quibuscum agamus. Secundus est, Præferre se æqualibus, nec posse cum eis pacificè viuere, nisi ipsi se nobis in omnibus accommodent. Tertius est, Præferre se etiam maioribus, vel saltem illis se æquare: vt si diaconus velit præcedere presbyterum, presbyter Episcopum, discipulus magistrum.

Secundò, Assignari possunt humilitatis gradus iuxta naturalem ordinem actionum, quibus ad perfectissimum humilitatis actum ascenditur. Hoc modo à D. Anselmo lib. de Similitudinibus à cap. 99. vsque ad 108. ponuntur septem gradus, quos sigillatim ibidem explicat.

Primus est, Cognitio sui, nimirum quoad peccata & defectus culpabiles. Hæc cognitio est humilitatis fundamentum, vt supra ostensum est. Secundus est, Dolor de suis peccatis, & imperfectiõibus. Tertius, Confessio illorum; nempe, non solum in Sacramento, sed etiam cum rogatur à Superiore, & aliis quando ratio dicat. Nolle enim culpam fateri, signum est arrogantia. Quartus, vt non solum fateamur nos peccasse, sed vt etiam velimus id ab aliis credi. Quintus est, Vt patienter feramus hoc de nobis dici. quidam enim semetipsos satis iudicant, inquit Anselmus, & culpam fateantur; sed ferre nequeunt vt tale quid ab aliis dicatur, vel ab aliis vituperentur. Sextus, Patienter ferre se pro sua culpa contemptum tractari, vel puniri. Septimus est, Desiderare culpam in nobis vindicari, & de eo gaudere. Ille enim perfectissimè pro culpa se humiliat, qui non solum se culpabilem & dignum punitione fateatur, & penam sine murmuratione sustinet; sed etiam ipsam punitionem amat.

Gradus superbiæ his aduersi, contrario modo sunt statuendi. Sicut enim bonum procedit construendo, ita malum destruendo: id autem quod in constructione est vltimum, in destructione est primum: v. g. in domo construenda, à fundamento proceditur ad culmen; in destruenda, à culmine ad fundamentum. Itaque primus gradus est, Etiam si constet de peccato, nolle tamen ob id puniri. Secundus, Impatienter ferre punitionem. Tertius, Impatienter ferre si ab aliis dicatur te deliquisse. Quartus, Agere vt alij non credant te peccasse. Quintus, Si nolis fateri, præsertim Superiori, tuam culpam. Sextus, Nullum signum doloris ostendere. Septimus, Si peccatum tuum defendas tamquam bonum factum.

Tertio, Statui possunt secundum ordinem, quo humilitas ab interioribus ad exteriora procedens primò moderatur animum in maioribus; deinde in minoribus, donec ad minima quæque pertingat. Hoc modo D. Benedictus in Regula cap. 7. duodecim gradus disponit. Primus est, Dei timorem habere præ oculis; & memorem esse omnium, quæ ipse præcepit. Secundus est, Delectari implere non suam voluntatem, sed diuinam. Tertius est, Pro Dei amore, omni obedientia se sub-

73
Tres gra-
dus super-
biæ his op-
positi.

73

74
Septem
gradus hu-
militatis
ex parte
sumtio-
num.

74
Septem
gradus su-
perbiæ his
responden-
tes.

74
Rati-
ones exerci-
tiorum
quibus ac-
quiruntur.

se sub-

se subdere maiori. Quartus est, In duris & asperis non recedere ab obedientia, sed amplecti praesidium patientiae. Quintus est, Prauas cogitationes, & mala à se in oculo commisso, humiliter Superiori confiteri. Sextus est, Ad omnia se indignum & inutile iudicare. Septimus est, Omnibus se inferiorem & viliozem non solum lingua pronuntiare, sed etiam intimo cordis affectu credere. Octauus, Accommodare se communi regulæ, singularitate vitata. Nonus est, Seruare taciturnitatem vsque ad interrogationem. Decimus, Non esse facilem aut promptum ad risum. Vndecimus, Pauca verba & rationibilia loqui, non clamosa voce. Duodecimus est, Non solum corde, sed etiam corpore humilitatem vbique praesefere, inclinato in terram aspectu.

75
Ratio istorum graduum.

Ratio horum graduum est: Ad perfectam humilitatem, praesertim Religiosorum, de qua in Regula D. Benedicti est sermo, tria requiruntur. 1. Ut hominem bene subijciat Deo, quod fit 1. Per Dei timorem; qui est primus humilitatis Christianæ gradus, omnibus maxime necessarius, vitæ totius vitæ Christianæ fundamentum. 2. Per studium implendæ non suæ, sed diuinæ voluntatis: quod fit gradu secundo. 2. Ut hominem faciat bene subditum suis Superioribus, quod fit quatuor gradibus sequentibus. Primum enim oportet ut Superiori suam voluntatem per obedientiam subijciat, quod fit tertio gradu. 2. Ut in hoc, quod semel Deo & Superiori promissit, sit firmus; ita ut propter dura & aspera ab obedientia non recedat: quod fit gradu quarto. 3. Ut etiam in ceteris, quæ ad conscientiam pertinent, à Superiore, tamquam Dei locum tenente, dirigi velit, ad hoc est gradus quintus, quo quis arcana conscientia suæ illi vult patefacere. 4. Ut medicinam à Superiore adhibitam humiliter excipiat, & seruet, nec sua prudentia aut industria in via spiritali villo modo fidat. quod fiet, si defectibus suis bene expendis se ad omnia indignum & inutile iudicet: qui est gradus sextus. 3. Requiritur ut bene illum ordinet ad proximos, tum quoad internam æstimationem; quod fit gradu septimo, dum quis se omnibus viliozem ex animo credit: tum quoad externam conuersationem: quod fit quinque gradibus sequentibus, quibus exteriora nostra ad humilitatem formantur. 1. In accommodando se in ijs, quæ vitam communem attingunt, ceteris, & vitanda singularitate. 2. In taciturnitate & seruando silentio. 3. In vitando multiloquio, & elatiori voce in loquendo. 4. In modestia aspectus. Paulò aliter hæc explicat diuus Thomas, sed nonnihil intricatè. nostra explicatio consentit omnino cum ea, quam insinuat D. Bernardus gradu 10.

76
Gradus superbiae 12. illis opposit.

Idem D. Bernardus, tractatu de gradibus humilitatis, constituit duodecim gradus superbiae, praedictis humilitatis gradibus directè oppositos, quos etiam pulcherrimè explicat. 1. est Curiositas. 2. Leuitas animi. 3. Inepta lætitia. 4. Iactantia. 5. Singularitas. 6. Arrogantia. 7. Præsumptio. 8. Defensio peccatorum. 9. Simulata confessio. 10. Rebellio. 11. Libertas peccandi. 12. Consuetudo peccandi. Procedunt autem hi gradus contrario ordine, nimirum humilitatis ædificium destruendo, ob causam supradictam. vnde primus opponitur duodecimo, eumque euertit; se-

cundus vndecimo; tertius decimo; quartus nono; & sic deinceps.

Primus est, *Curiostitas*; quæ consistit in hoc, quòd quis huc illuc vago ad spectu circumspectat, cupidus omnia videndi & audiendi. Si videris, inquit Bernardus, monachum, de quo prius bene confidebas, vbi cumque stat, ambulat, sedet, oculis incipientem vagari, caput erectum, aures portare suspensas; è motibus exterioris hominis interiorem immutatam agnoscas. Adfert exemplum Dinæ, quæ sua curiositate perdidit virginitatem.

1. Curiositas.

Secundus est, *Leuitas animi*. Hæc in eo consistit, quòd quis sit facilis ad iudicandum de aliorum factis, & ad suam sententiam de illis proferendam; ad quiduis effutiendum, ad facile aliis contradicendum; ad sua sine fine tuenda. Vide de hoc pulcherrima apud D. Bernardum.

2. Leuitas animi.

Tertius est, *Inepta lætitia*. Nascitur ex prosperis successibus, & ex eo quòd homo non confidat sua mala, sed solum bona, lata, & suæ vanitati consentanea. Illum, inquit Bernardus, qui eius modi est, aut nunquam aut raro gementem audies, aut lacrymantem videbis; in signis scurrilitas, in fronte hilaritas, vanitas apparet in incessu. Pronus ad iocum, facilis ac promptus in risum, &c. Deinde dicit eum esse similem vesicæ vento inflatæ, quæ puncto perforata dum subinde stringitur, varios crepitus emitit, &c.

3. Inepta lætitia.

Quartus est, *Iactantia*. Qui ad hunc gradum conscendit, plenus est sermonibus, inquit Bernardus, & coartat cum spiritu veri sui. E juri & sitit auditores, quibus suas iactantes vanitates, quibus omne quod sentit, effundat, quibus, qualis & quantus sit, innotescat. Inuenta autem occasione loquendi, si de literis sermo exoritur, vetera proferuntur & noua, volant sententia; verba resonant ampullosa. Prauenit interrogantem non quærenti respondet; ipse quarit, ipse soluit, & verba collocutoris imperfecta praescindit, &c. Eodem pertinet, libenter de suis rebus, quæ aliquam admirationem vel commendationem habere videntur, loqui vel audire.

4. Iactantia.

Quintus est, *Singularitas*; cum scilicet aliquis agit aliqua ultra communia, ut præ ceteris æstimetur. Huc pertinet, teste Antonino p. 2. tit. 3. cap. 3. §. 8. si in sermone vtaris verbis peregrinis & obliquis; in disputatione nouas secleris opiniones; in tractatione cum aliis de rebus agendis, discrepes à communi iudicio aliorum, vt aliis doctior, subtilior, prudentior videare.

5. Singularitas.

Sextus est, *Arrogantia*; qua quis sibi plura tribuens quàm habet, aliis se præstantiorem æstimat scientiâ, virtute, nobilitate, aliâve re, quæ inter homines sit in pretio. Hic quidquid de se laudatum agnouerit, non ignorantia aut beneuolentia laudatoris, sed suis meritis adscribit.

6. Arrogantia.

Septimus est, *Præsumptio*, qua quis ad omnia se præsumptam æstimat, & multa supra vires audet. Qui enim, inquit D. Bernardus, alijs se præcellere putat, quo modo non plus de se quàm de alijs præsumat? Primus in conuentibus residet, in concilijs primus respondet, non vocatus accedit, non missus se intromittit, reordinat ordinata, reficit facta. Quidquid ipse non fecerit aut ordinauerit, nec rectè factum, nec pulchrè existimat ordinatum; indicat indicantes, prauidicat indicaturis.

7. Præsumptio.

Octauus est, *Defensio peccatorum*, sub qua etiam friuolas excusationes, quas proacaciter quis præterdit, intelligit. Multis vero modis, vt inquit Bernardus,

8. Defensio peccati.

nardus, sunt excusationes in peccatis. aut enim dicit, qui se excusat, Non feci: aut feci quidem, sed bene feci: aut si male, non multum male: aut si multum male, non mala intentione.

9. Simulata confessio.

Nonus est, *Simulata confessio*, hempe cum quis manifestus peccati vel conuictus, & videns excusationi non esse locum, fatetur delictum, & etiam fortasse exaggerat, prae se ferens magna doloris & emendationis, vt hac ratione existimetur humilis & verè poenitens. Gloriosa enim res humilitas, qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat. Hac hypocrisis sic detegitur: *Cuius simulata confessio est, inquit Bernardus, vna vel leni contumelia, vel exigua poena interrogatus, iam humilitatem simulare, iam simulationem dissimulare non potest: murmurat, frendet, irascitur: nec in quarto stare humilitatis, sed in nonum superbia gradum corruisse probatur.*

10. Rebellio.

Decimus est, *Rebellio*, id est, nolle Superioribus obedire, mandata eorum paruipendere. Oritur hic gradus ex priore: vbi enim simulatio poenitentiae recta fuerit, videns se hac ratione non posse honorem suum tueri, ad impudentiam se conuertit, & tanto deterius, quanto desperatius in decimum gradum Rebellionem corruit: quique prius latenter arrogans fratres contempserat, iam patenter inobediens etiam magistrum contemnit.

11. Libertas peccandi.

Vndecimus est, *Libertas peccandi*. excusso enim Superioris, quem timebat, iugo, & fratribus, quos reuerbatur, remotis, quanto securius, tanto libertius sua desideria implet.

12. Consuetudo peccandi.

Duodecimus est, *Consuetudo peccandi*: cum quis reiecto penitus Dei timore, in omne genus peccati se precipiat, & in eo continuat, donec eum prava consuetudo penitus confringat. *Postquam, inquit Bernardus, terribili Dei iudicio, prima flagitia impunita sequitur, experta voluptas libenter reperitur, reperta blanditur, concupiscentia reuiscit, sopitur ratio, ligat consuetudo, trahitur miser in profundum malorum, traditur captiuus tyrannidi vitiorum, prae vt carnalium voragine desideriorum absorptus, sine rationis diuiniq; timoris oblitus dicat insipiens in corde suo, Non est Deus. Qui plura de his desiderat, videat D. Bernardum. Hoc solum addam, istos duodecim gradus posse ad tres reuocari, nam in sex primis est contemptus fratrum; in quatuor sequentibus contemptus Superioris; in duobus postremis contemptus Dei; vt notat idem Bernardus gradu 10.*

D V B I T A T I O X I.

De studiofate & curiositate.

D. Thomas q. 166. 167.

77. Studiofita.

Materia eius.

Studium.

Studiofita est virtus secundum diuum Thomam, quae affectum & studium cognoscendi iuxta rectae rationis normam temperat. Proxima huius materia non est ipsa per se cognitio; (haec enim non est libera, nec eget vlla moderatione vt in se sit qualis esse debet) sed studium cognoscendi: hoc enim est actus liber, elicited vel imperatus a voluntate, & rationis moderatione indigens vt sit actus virtutis. Nam *studium* cognoscendi nihil est aliud quam vehemens animi applicatio ad aliquid cognoscendum; quae applicatio

fit per voluntatem. huius enim est reliquas potentias, quarum liberum est exercitium, ad suas functiones applicare, ipsaeque ad suum finem vt. In ista autem applicatione duo actus continentur; affectus sciendi, & conatus. Affectus est in voluntate, & vocatur vltus actiuus: nam per ipsum velle, potentia actiue applicatur. Conatus, in ipsis potentis cognitiuus, & dicitur vltus passiuus vel formalis; quo ipsa potentia intrinsece & formaliter applicatur ad suum opus. Nihil enim est aliud quam ipse actus cognitionis, vel certe productio eius, vt voluntati subest: vt colligitur ex 1. 2. quaest. 16. art. 1. Itaque studium hoc loco continet & vltum actiuum, quo voluntas actiue potentias cognitiuas ad tuas functiones applicat; nimirum oculos ad legendum, aures ad audiendum, phantasia ad imaginandum & apprehendendum, intellectum ad considerandum & iudicandum: & vltum passiuum, nimirum actus istarum potentiarum vel actuum productiones, vt vsui actiuo subsunt, ab eoq; dependent, & moraliter informantur; hi enim proprie studium dicuntur.

Officium igitur huius virtutis est, Primò, Moderari appetitum sciendi, vt quis non velit plura aut altiora scire, quam ipsius conditioni & capacitati conueniat; nec plura faciat scientiam, quam oportet, praeposendo illam virtuti, aut rebus ad salutem necessariis; sed vt illam aestimet & amet in suo gradu.

Secundò, Moderari ipsum studium, & conatum animi in acquirenda scientia, vellea vtenda, rectae rationis regulam illi imponendo; nimirum vt studeamus ea diligentia, qua oportet, & eo fine, quo oportet, & illis rebus, quibus oportet, illis adminiculis, illis etiam locis & temporibus, quibus oportet.

Tertiò, Non solum refranare affectum & moderari studium; sed etiam interdum vtrumque impellere & incitare: nempe quando quis ob laborem coniunctum, studium sibi necessarium vel congruum refugit, vel in eo languide se gerit, vel si congrua adminicula non adhibeat. Et quia hoc plerisque accidit, plures enim in rebus necessariis vel vtilibus addiscendis deficiunt quam excedunt; ideo haec virtus potius ab impellendo, quam a refranando dicitur.

Ex his colligitur, hanc virtutem, qua parte refranat affectum ne nimium in sciendarum studium feratur, annexam esse temperantiae; cuius munus est moderari affectum ne nimium in voluptates corporis se effundat: magna enim est voluptas cognitionis; vnde & omnes homines naturae scire desiderant, Aristotele teste: itaque oportuit hunc affectum aliqua virtute temperari & veluti cohiberi, ne modum excedat. qua verò contra laborem impellit, posse reduci ad fortitudinem. Opus enim est aliquo animi robore ad difficultates studiorum superandas; quod robur non debet alteri virtuti assignari quam huic; quia ordinatus sciendi affectus ad illud sufficit.

Studiofita duo vitia opponuntur, *Curiositas* & *Negligentia*; illa per excessum, haec per defectum.

Curiosus generatim dicitur, qui maiorem curam circa rem aliquam inutilem cognoscendam, vel efficiendam, vel comparandam adhibet, quam ratio postulet. sic dicimus aliquem curiosum in vesti-

78. Officium huius virtutis.

79. Est annexa temperantiae, & quodammodo fortitudinis.

80.

Curiosus.

vestibus, in supellectile, in fermone, in rebus peregrinis conquirendis, in arte sua, & similibus. Itaque *curiositas* generatim denotat superfluum diligentiam circa res inutiles, vel qualiter earum, minimè necessariam. Propriè verò locum habet in studio & amore cognitionis nihil ad nos pertinentis: nimirum cum quis superfluum diligentiam adhibet ut aliquid sciat, quod nihil ad ipsum scire attinet, vel quod caprum ipsius superat; idque affectu solius cognitionis. tales enim propriè curiosi dicuntur; ut sunt qui res alienas scire cupiunt & inuestigant, tantum in villas sciant. Quòd si non affectu cognitionis, sed operationis scire conentur; verbi gratià, ut aliis noceant, vel sibi consulant, non erit propriè curiositas, nec illi dicentur curiosi. Vnde patet, non omnem inordinatum affectum sciendi, nec omnem excessum in studiis esse curiositatem: sed illum, qui tendit in ipsam scientiam propter se, maximè in eam, quæ est homini inutilis.

81 Et quia omnis ferè nostra cognitio parvi est momenti, si in sola speculatione maneat, nec ad usum vitæ, vel ad rectè viuendum, Deumque cognoscendum adhibeatur; idè curiosi etiam dicuntur, qui cognitionem aliquam philosophicam, vel etiam Theologicam querunt, ut in sola sterili speculatione sistant. vnde diuus Augustinus libro de vera Religione cap. 29. ait: *Non frustra & inaniter intueri oportet pulchritudinem calis, ordinem siderum, candorem lucis, diurnum & nocturnum vicissitudines lune, menstrua curricula, anni quadrifariam temperationem quadrupartitis elementis congruentiam, tantam vim seminum, species numerosque generantium, & omnia in suo genere modum proprium naturamque seruantia: in quorum consideratione non vana & peritura curiositas exercenda est; sed gradus ad immortalia & semper permanentia faciendus.* Vbi aperte diuus Augustinus talem cognitionem curiosam vocat.

Obiectio.

Dices, Talis cognitio, v. g. Physica vel Mathematica, est virtus intellectus: ergo per se appeti potest: ergo illam per se appetere, & in illa sistere, non est curiositas.

An cognitio philosophica sit per se appetenda.

Respondeo, Non esse curiositatem, saltem vitiosam, illam per se appetere, modò æstimetur in suo gradu, seu non pluris quàm oportet: secus verò si ita appetatur & queratur quasi in ea magna quedam felicitatis portio consistat; sicut fit à vanis hominibus & Philosophis ethnicis. Item si sic queratur ut Dei vel rerum ad salutem pertinentium cognitio vel cura negligatur. Hoc igitur modo in illa sistere curiositatis est.

Addo, etiam si æstimetur in suo gradu, nec ita queratur ut necessaria ad salutem prætermittantur, tamen appetitum & studium sciendi propter nudum scire non esse laude dignum; ac proinde neque opus virtutis: sed pertinere ad quamdam curiositatem, si non malam, ac certè adiaphoram. Nec refert quòd scientiæ dicantur virtutes; quia non sunt virtutes simpliciter quæ hominem reddant probum, sicut iustitia, temperantia, fortitudo: sed secundum quid; quia perficiunt intellectum ad suas operationes, & in ordine ad proprium obiectum. alioquin inter bona naturalia & adiaphora censenda sunt, sicut viuere, sentire, intelligere, propter quæ nemo laude vel vituperio dignus est, etsi hæc per se sint expetenda. Vnde patet, curiositatem esse, si quis maiorem partem co-

gitationum & curarum suarum in hac tanta vitæ breuitate & incertitudine in illas expendere velit, nisi ad meliorem usum referantur: quia reuera tanta temporis & industriæ iactura non sunt per se digna. & hæc videtur mens D. Augustini.

Neque solum in cognitione intellectus, sed etiam in notitia sensuum curiositas locum habet, nimirum, cum quis appetit videre, audire, olfacere, gustare, tangere, sciendi, iudicandi, vel discernendi causa, ea, quorum notitia ad ipsum nihil attinet.

Dico sciendi vel iudicandi causa: quia si non causa notitiæ, sed voluptatis, quæ ex ipsa re percipitur, vel actionis, videre vel alio sensu apprehendere quid velis, non erit propriè curiositas; sed poterit esse alterius generis peccatum, vel etiam quid adiaphorum: ut si musicam audire velis, non ut iudicet de vocibus, symphonia vel alia re simili, sed ut voluptatem aatribus captes. Simile est in aliis sensibus, etiam in tactu; aliud enim est tangere causa noscendi, ut discernas inter calidum & frigidum, humidum & siccum, durum & molle, elatum & depressum, aliasque qualitates tactiles & figuras: aliud voluptatis causa. Itaque sensuum usus pertinet ad curiositatem, quatenus ordinatur ad nudam notitiam, & discretionem sensibilium; nec per illum queritur voluptas illa, quam ipsa res per se affert. cuius signum est, quòd ex curiositate non minus ea quæ offendunt, quàm quæ delectant, sentire velimus. Vnde facile est distinguere vtrum aspectus vel contactus ad libidinem, an ad curiositatem attineat.

Petes, Quale peccatum sit curiositas.

Respondeo, Per se solum esse veniale: quia non est magna inordinatio quòd homo appetat scire quæ ad se non pertinent, aut superfluum in huiusmodi rebus operam ponat, modò necessaria non negligat. Ratione tamen circumstantiarum potest esse mortale.

Primò, Ratione prohibitionis; ut si tale quid legere, audire, spectare sit prohibitum. ut si quis legat libros vetitos: si spectet duella, vel ludos spectari vetitos; si velit audire vel cognoscere quæ dicuntur in confessione, absque consensu penitentis: si Religiosus exeat Monasterium ut audiat lus ciuile, vel Medicinam: similiter si sacerdos vel beneficiarius habens Dignitatem vel Personatum, easdem disciplinas publicè audiat; & sunt hi tres ipso facto excommunicati, si per duos menses continuent; ut patet ex cap. Non magno opere. 3. & cap. Super specula. 10. Ne clerici vel Monachi negot. sæcul. & cap. 1. eodem, in Sexto. Non tamen peccant si isti priuatim ob bonum finem huiusmodi disciplinis vacent. Crediderim quoque, aspectum duelli vel alterius spectaculi prohibiti non esse mortale peccatum, si quis casu aliquo ex occulto spectet; ac proinde talem non esse excommunicatum per Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 19. vbi spectatores duellorum excommunicantur: quia talis inter spectatores non censetur. nam spectatores vocari non solent, nisi qui in publico se exhibent, & sua præsentia spectaculum cohonestant: & aliàs pœnæ sunt restringendæ.

Secundò, Ratione materiæ, idque tripliciter: 84 vel enim materia est per se illicita; ut si contineat occultum pactum cum dæmone, ut sunt omnia

X x x j

magica,

82
Curiositas sensuum.

Si cupias sensu percipere non causa notitiæ, sed voluptatis, vel actionis.

83
Quale peccatum.

Quando sit mortiferum.

1. Ratione prohibitionis.

84
2. Ratione materiæ.

magica, & pleraque astrologica, chiromantica, hydromantica, & similia ad prædictiones futurorum, vel patefactionem occulorum pertinentia: hæc enim propriissimè dicuntur *curiosa*: quia omnino superuacanea, plena superfluis curis, & vanis imaginationibus; de quibus Actor. 19. *Multi ex is, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt eos coram omnibus.* Vel materia est periculosa, utpote inductiua in peccatum: hoc modo lectio curiosa de rebus amatoriis potest esse peccatum mortiferum, ob probabile periculum consensus. Similiter visus & contactus curiosus. Vel est intellectui improporionata; ut sunt mysteria fidei, quæ si quis ingenio suo scrutari velit, & de illis iudicium ferre, erit mortifera curiositas: qualis est in hæreticis, qui nihil volunt credere, nisi priùs à se examinatum deprehenderint suis phantasiis conforme. Hanc curiositatem vitare monemur Ecclesiastici 3. *Altiora te ne quaeris, & fortiora te ne scrutatus fueris: nempe animo illa perfectè capiendi, aut de illis iudicandi, aut nimio studio aut conatu, sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus.* Et infra: *Multos quoque supplantauit suspicio eorum, & in vanitate derinuit sensus eorum,* id est, multi decepti sunt, & vani effecti, cum putarent se capere quæ non intelligebant. Græca hæc paulò aliter habent, sed sensus eodem redit. Huc etiam pertinet illud Prouerb. 25. *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria; & illud Apostoli ad Romanos cap. 12. Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: & unicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei.*

3. Ratione
mediorum.

Tertio, Ratione mediorum; ut si quis illicitis mediis notitiam aliquam parare velit: verbi gratia, arte notoria, vel magisterio dæmonis. Item si non possis scire nisi alterum ad malum inducas; ut si velis scire arcanum alteri commissum, vel quod ipse patefacere non potest, præsertim si iuramento prohibeatur. Si, ut ipse mira, alterum inducas ut magia vtatur, vel desideres, vel consentias ut vtatur, secus si tibi non placeat ipsum ista facere, nec possis impedire.

4. Ratione
finis.

Quarto, Ratione prauis finis; ut si intentione decipiendi, vel alicui notabiliter nocendi aliquid scire velis, quamuis propriè tunc non sit curiositas, nisi materialiter; quia non affectu sciendi quaeritur notitia, sed operandi.

5. Ratione
incommodi
coniuncti.

Quinto, Ratione incommodi connexi; ut si ita alicui studio minus vtili incumberet, ut ea quæ necessaria sunt ad salutem discere vel exequi prætermitteret; vel si cum scandalo aliorum studium aliquod tractaret.

Denique, Quocumque appetitus sciendi est illi causa committendi alicuius peccati mortiferi; quacumque ratione id fiat, est peccatum mortiferum.

85
Alterum
extremum
negligentia.

Alterum extremum est negligentia studiorum; quæ nihil est aliud quam voluntaria omisio discendi illius, quod discere vel scire tenetur; ut si quis negligat discere articulos fidei, & alia ad salutem necessaria: si Medicus, Aduocatus, Parochus, Episcopus, negligant ea discere, quæ suum cuiusque officium attingunt; si studiosus negligat sua studia.

Quale pec-
catum.

Est autem hæc negligentia per se, quatenus procedit ex tædio laboris, & defectu amoris ad cognitionem sibi congruentem, peccatum veniale; sæpè

tamen potest esse mortale ratione materiæ, nimirum si sub peccato mortali ad eam descendam, Iure diuino vel humano erat obstrictus, quod si solum sub veniali tenebatur, erit veniale.

DUBITATIO XII.

De Modestia in motibus externis.

D. Thomas q. 168.

Modestia, à modo scientiæ quid deceret hominem appellata est, teste D. Ambrosio libro 1. Offic. c. 18. vel à modo nostris motibus imponendo. Græci vocant *σωφροσύνην*, à Stoicis apud Ciceronem lib. 1. Offic. sic definitur: *Modestia est scientia earum rerum, quæ aguntur aut dicuntur loco suo collocandarum.* Dicunt esse scientiam, quia virtutes omnes scientias esse putant, eò quod prudentia est omnium bonarum actionum regula. Melius sic definitur: *Modestia est virtus, exterius motus & gestus corporis ex præscripto rectæ rationis temperans, vel sic: Est virtus decorum in externis motibus & gestibus seruans.*

Materia ergo huius virtutis est motus corporis & gestus exterior sensibus obuius; ut incessus, statio, sessio, motus capitis, contractio & explanatio vultus, membrorum iactatio, vox, risus, aspectus. Vnde Cicero lib. 1. Offic. *Ex oculorum obtutu, superciliorum aut contractione aut remissione, ex modestia, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, & submissione, ex ceteris similibus facile indicabimus quid aptè eorum fiat, quid ab officio naturæque disceperet.*

Ratio est, Quia motus externi membrorum sunt liberi; ac proinde subiunt rationis ordinationi. id autem quod subest rationis ordinationi, cum rectè & præuè ordinari possit, est materia virtutis & vitij.

Forma verò quam huic materiæ modestia imponit, est congruentia ad personam spectatam tum absolute, tum in ordine ad eos, cum quibus, vel coram quibus agitur; & ad locum, tempus, & negotia, de quibus agitur.

Primum enim debent hi motus & gestus ita fieri, ut congruant personæ, cuius sunt. Decorum enim est, quod congruit naturæ rationali in eo, cui inest: seu quod secundum rectam rationem congruit ei, cui decorum dicitur. Vnde Ambrosius lib. 1. cap. 19. *Hoc est, inquit, pulchritudinem viuendi tenere, conuenientia cuique sexus & personæ reddere.* Debet etiam congruenter fieri ad alios; quia pro diuersitate personarum, quibuscum agitur, diuerso quoque modo tota conuersatio & ratio agendi est moderanda. Similiter pro diuersitate temporis & loci. Vnde Stoici modestiam in eo constituebant, ut omnia suis temporibus & locis agantur & dicantur: quod Cicero explicans, *Tanta, inquit, vis est & temporis & loci, ut si quis cum causam sit acturus, in iuine aut in ambulatione secum ipse meditetur, non reprehendatur: at hoc idem si in conuiuio faciat, inhumanus videatur, in scientia temporis.*

Officium igitur huius virtutis est ista omnia sic moderari, ut congruant personæ tum in se considerata; tum ut habet ordinem & respectum ad circumstantes, ad locum, tempus, & negotium præsens.

Et quidem quod ad gressum, qualis esse debeat

beat in viro graui, docet luculentè Ambrosius l. 1. Offic. cap. 18. vbi inter cetera ait: *Est etiam gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis, grauitatis, si que pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen si studium desit, atque affectatio: sed motus sit purus ac simplex, (nihil enim suatum placet) motum natura informet. Si quid sane in natura vitii est, industria emendet, ut ars desit, non desit correctio. quod postremum in ceteris externis formandis tanquam regula est adhibendum.*

Moderatio gressus.

Moderatio vocis.

De voce c. 19. sic ait: *Vox ipsa non remissa, non fracta, nihil femininum sonans, qualem multi grauitatis specie simulare consueverunt; sed formam quamdam & regulam, ac succum virilem referuans. Et infra: Ut molliculum & infractum, aut vocis sonum, aut gestum corporis non probet: ita neque agrestem aut rusticum. naturam imitemur, eius effigies formula disciplina, forma honestatis est.*

Moderatio orationis.

Oratio qualis esse debeat, siue in colloquiis, siue in tractatu seu concione, docet c. 22. his verbis: *In utroque seruandum ne sit aliqua perturbatio, sed tamquam mitis & placidus, beneuolentia plenus & gratia, sine vlla sermo ducatur contumelia: absit perimax in familiari sermone contentio. Et infra: Disceptatio sine ira, suauitas sine amaritudine, monitio sine asperitate, horatio sine offensione. Et infra: qualis esse debeat oratio concionatoris: Oratio sit pura, simplex, dilucida, atque manifesta, plena grauitatis & ponderis, non affectata elegantia, sed non intermissa gratia. Vide plura apud eundem ad huius virtutis officium pertinentia.*

90 Ex quibus constat quanti hæc virtus sit momenti, utpote necessaria ad bonum nomen, ad proximi ædificationem, & ad amicitiam vitamque communem. Nam vt idem Ambrosius cap. 18. ait: *Habitus mentis in corporis statu cernitur. hinc homo cordis nostri absconditus, aut lenior, aut iactantior, aut turbidior: aut contra grauior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur. Itaque vox quædam est animi, corporis motus. Idem insinuat illud Ecclesiastici 19. Ex visu cognoscitur vir, & ab occursum faciei cognoscitur sensatus. Denique in hac totum ferè externum decorum, & pulchritudo vitæ consistit.*

91 Potest à diuersis vitibus temperari.

Notandum tamen, hanc externam moderationem ex diuersarum virtutum affectu præstari posse, eaque ratione ad diuersas pertinere virtutes. Si enim externam modestiam præstes, vt talem te foris exhibeas, qualem te intus esse putas, pertinebit ad virtutem veritatis: sicut hypocritis est aliud foris simulare, aliud animo gerere. Si id facias vt te aliis commodum, & suauem in conuersatione exhibeas, erit officium amicitiae, seu affabilitatis; si vt reuerentiam rebus sacris habeas, erit officium religionis. Ratione tamen materiae semper dicitur modestia: ad quam etiam formaliter pertinebit, si fiat affectu congruentem, quam habet ad ipsam personam, cui inest, cum circumstantiis occurrentibus spectatam.

92 Virtus modestia opposita per excessum.

Contra hanc virtutem peccatur per excessum & defectum. Per excessum, cum plus agitur, quam præscriptum rationis habeat. Primò, Si externi motus vel gestus communem modum excedant, hoc vocatur vulgò *petulantia* vel *insolentia*. Secundò, Si alienum modum tibi non congruentem assumes; vt si Religiosus vtatur moribus aulicis, quò pertinet mollities quædam in voce, gressu, gestibus, quam D. Ambrosius sæpè reprehendit.

Tertiò, Si ficto animo modum aliquem assumes, quod est hypocritis. Ceterum in his non est peccatum morale, nisi ratione prauis finis, vel scandalali, vel alterius grauis nocementi.

Per defectum peccatur contra hanc virtutem, Per defectum ruditate & rusticitate: hæc per se non est peccatum nisi veniale; per accidens tamen mortale esse potest: v. g. ob scandalum vel offensionem, cum alij putant se tali ratione contemni.

D V B I T A T I O X I I I.

De Eutrapelia.

D. Thomas q. 168. art. 2. 3. 4.

93 Omnes motus gestusque externi vel ferio huius, vel ludii iocive causâ. Serio fieri dicuntur, cum non ad ludum vel iocum. Ludus proprie in factis, iocus in verbis est. Generatim tamen ludi nomine etiam iocum intelligimus: nam verbis quoque ludere dicimur, & ludere hominem, & in hominem.

Si serio agantur, eorum moderatio ad virtutem, quæ communi nomine dicitur *modestia*, pertinet. Si ludi causâ, moderatio quidem ad modestiam pertinet; tamen vt sit distinctio inter hanc modestiam, quæ est in ludicris, & illam, quæ in seriis, hæc proprio nomine vocari solet *eutrapelia*, & qui ea præditi, *ευτραπείοι*, quali *ευτροποι*, (vt Aristoteles lib. 4. Ethic. cap. 3. ait) id est, flexibili ac verlatili ingenio: quia dicta & facta quædam, dextrè ad recreationem animi conuertere norunt. Est igitur eutrapelia species modestiæ. Vnde definiti potest, vt sit *modestia in ludicris*: vel hoc modo: *Eutrapelia est virtus quæ ludis & iocis rationis modum imponit: vel sic; quæ in ludicris decorum seruat.* aliter hoc nomine vitur Apostolus ad Ephel. 5. nimirum pro scurrilitate, facilis enim in iocis ad scurrilitatem lapsus.

Moderatio eorum qua serio aguntur.

Itaque materia huius virtutis sunt *actiones ludicrae*, siue in factis, siue in dictis sitæ: sunt enim istæ actiones liberæ, vt constat, & per se non illicitæ, sed indifferentes; ac proinde capaces ordinis recti vel prauis, à ratione imponendi, in quo ratio virtutis & vitii consistit. Quòd autem etiam viris grauibus tales actiones interdum illicitæ non sint, patet: quia sicut corpus fatigatur corporali labore, propter consumptionem spirituum, & membrorum exsiccationem; ita anima rebus seriis intenta fatigatur labore spiritali. cogitando enim attentè, consumuntur spiritus animales, quibus ipsa vitur ad functiones, non quidem ipsius per se intellectus, sed phantasie, à quibus omnis functio intellectus dependet. Ipsum quoque cerebrum incalescit & exsiccatur. vnde sicut corpus eget quiete ad refectionem spirituum, & virium instaurationem: ita etiam anima sua quiete opus habet: quies autem animæ propria est ludus & iocus, quia in his non laborat, cum magnam attentionem non requirant, & voluptate quadam sensus internos afficiant: & interea dum animus ita recreatur, natura nouos spiritus suppediat, & organa ad temperiem priorem reducit. Hinc Cicero libro 1. Officior. *Ludo*, inquit, & ioca vit illo quidem licet, sed sicut summo & quiete, tum cum grauibus serijsque rebus satis fecerimus. Vnde sequitur, eos, qui grauibus studiis, & rebus spiritali-

94 Materia eutrapelia.

tualibus multum intendunt, hoc solatio subinde uti posse. quod etiam docet Cassianus Collat. 24. seu ultima c. 20. idque confirmat c. 21. exemplo & responso B. Iohannis Evangelista, qui similitudine arcus assidue intenti & numquam laxati hanc rem declarabat. Idem insinuat D. Augustinus libro 2. de musica, in fine, cum ait: *Volo tandem tibi parcas: sapientem enim interdum remittere aciem, rebus agendis intentam, docet.* Constat igitur materiam istam licitam esse.

95 *Forma.* Forma, quam hæc virtus ludo inserit, est congruentia ad personam ludentem, tum in se spectatam, nimirum ut eius dignitati non repugnet; tum in ordine ad alios, & ad locum, tempus ac negotium præsens. Facit enim ut ludus sit congruens personæ cum istis circumstantiis spectata: sicut modestia reliquos motus & gestus conuenienter personæ disponit.

96 *Tria cauenda circa materiam & formam.* Porro tria hæc sunt maxime cauenda. Primò, Ut absit omnis iniuria, obscenitas, & illiberalitas. Vnde Cicero supra: *Ut pueris non omnem licentiam ludendi damus, sed eam, que ab honestatis actionibus non sit aliena: sic in ipso ioco aliquod probi ingenij lumen eluceat.* Deinde explicans quales ioci vitandi, addit: *Duplex omnino est iocandi genus: alterum illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum: alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Illiberale vocat, quod homine ingenuo est indignum; quale aurigarum, nauatarum, & similibus, ex hominum facie, qui sordibus & nugis delectantur. Petulans, quod habet contumeliam. Flagitiosum, quod blasphemiam, vel aliud graue crimen implicat. Obscenum, quod impuritatem.*

Secundò, Ne nimium in ludicra simus profusi. Vnde Ambrosius libro 1. Offic. capite 20. *Cauemus, ne dum relaxare animum volumus, soluamus omnem harmoniam & quasi concentum quendam bonorum operum.* Et Cicero: *Ipsium genus iocandi non profusum, nec immodestum, sed ingenium & facetum esse debet.*

Tertiò, Ne ista adhibeantur in rebus sacris, verbi gratia in concionibus, neque per sacra exerceantur. quod, iuxta D. Thomam, insinuat Ambrosius lib. 1. Offic. c. 23. cum ait: *Nam licet interdum honesta ioca ac suauia sint, tamen ab ecclesiastica abhorrent regula.* Et sanè graue peccatum est, in sacris concionibus iocos adhibere: est enim contra reuerentiam & attentionem verbo diuino debitam; nam in ioco est remissio attentionis, & reuerentiæ, in eoque assumitur quædam libertas, & tamquam si cum æqualibus de nullo serio negotio ageretur. Est etiam contra fructum & ædificationem: quia vis verbi diuini in animis auditorum veluti retunditur, & impressio mentibus eorum facta euanescit. Denique concionator existimationem suam amittit, & vanitatis à populo damnatur. Similiter graue peccatum est, verbis sacris ad iocos & facetias uti. vnde Concilium Tridentin. sess. 4. in fine mandat & præcipit, *ne de cetero quisquam vllis sacra Scriptura locis utatur ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias & diabolicas incantationes, diuinationes, sortes, libellos etiam famosos; & iubet eos puniri per Episcopos. sæpè tamen ex lenitate materiæ, vel ratione inconsiderationis, huiusmodi ioci sunt peccata venialia.*

97 Porro sicut in ludis & iocis potest esse moderatio, ita excessus & defectus. Excessus est, cum quis

amplius in istis sibi indulget quam ratio recta permitit. Defectus, cum minus. Dupliciter autem potest esse excessus, ut docet D. Thomas ar. 3. Primò, Ex ipsa specie actionum, quæ ad ludum assumuntur, nec tamen ad hoc sunt idoneæ; idque vel quia per se sunt peccata; (ut cum ludi iocive causæ quis vitur verbis vel factis obscenitas, vel proximo noxiis) vel quia sunt sacra, & maiorem reuerentiam postulant. Quòd si verba illa vel facta per se sint peccata mortifera, excessus erit letalis; quia non ideò propriam malitiam amittunt, quòd ad ludum & recreationem ordinantur. Si autem illa per se tantum sint venialia, erit excessus venialis: quia ordinatio ad ludum superueniens, non addit culpam letalem. Vnde simplex turpilium ex ioco profectum non est peccatum mortale, ut rectè Caiet. ar. 3. Secus si animo trahendi ad libidinem. Si verba sint sacra, & absit scurrilitas, contumelia, infamatio; iocus plerumque est venialis; nisi fortè esset magnus excessus, ita ut grauis videatur irreuerentia.

98 *2. Ex circumstantiis.* Secundò, Potest esse excessus ex circumstantiis, scilicet personæ, loci, temporis, finis, qualitatis ludi, & modi ludendi. Primò, Ratione circumstantiæ personæ; ut si propter dignitatem deceat personam sic ludere. sic alex lusus vetatur Clericis ob dignitatem personæ. Non tamen est peccatum mortiferum, si absque scandalo, recreationis causâ interdum fiat; quia vsus permittit. neque etiam si ob pecuniam; modò scandalum absit, & de ea liberè possint disponere. Secus tamen si alex sint dediti, de quo vide sup. lib. 2. cap. 26. dub. 1. & Nauarrum in Enchiridio c. 20. num. 3. Ob eandem causam illicitus est illis laruarum vsus, quamuis non videatur peccatum mortale, si scandalum & prauis finis absit, ut indicat Caietanus in Summa, v. Laruarum vsus. Secundò, Ratione loci, ut si fiat in loco sacro: non tamen erit peccatum mortiferum, nisi vel ratione scandali, vel quia diuina officia impediuntur, vel quia speciatim prohibitum est talem ludum ibi fieri; licuti venium est de ludis theatralibus, ut patet cap. Cum decorem. 12. de vita & honest. Cleric. Tertiò, Ratione temporis; ut si quis bonam diei festi partem ludis absumat. Hoc tamen non erit mortiferum, si Sacrum, & si quod aliud officium diuinum præceptum sit, non omittat: ut docet Nauar. cap. 20. num. 3. & Caietanus ar. 3. Ludus enim etsi operosus sit & laboriosus, ut ludus pilæ, prælij vmbraçilis, & similes, tamen non est opus seruuile, aut aliàs speciatim ob cultum festi prohibitum. Quartò, Ratione finis; ut si quis ludat animo ad malum pertrahendi. Si finis principalis sit lucrum, erit peccatum, iuxta Caietanum ar. 3. Silu. v. Ludus. q. 4. & alios quosdam. quorum ratio est, quia cum ludus natura sua ad recreationem & animi quietem referatur, abusus est illum ordinare ad lucrum. vnde etiam huiusmodi lucrum voluntè ffordidum & illiberale, utpote acquisitum per id quod natura aliò destinauit. Fatentur tamen non esse peccatum mortiferum. Contrarium tamen est verius, ut supra libro 2. cap. 26. dubit. 1. ostensum est. nam ludus etiam includit vel supponit contractum, estque illius executio. Itaque possunt eo sic uti, qui reum suarum liberam habent administrationem. quare nullum per se est peccatum, illo ad lucrum uti. plerumque tamen quando quis ad talem finem vitur,

vitur, est aliquod peccatum, ratione immodicæ cupiditatis, ex qua ordinariè tunc procedit. Quintò, Ratione qualitatis materiæ prohibita ad ludum vsurpari. Sic olim ludus aleatum (quo nomine omnes fortuitum euentum habentes continentur) prohibitus erat ob varia incommoda, quæ inde sequebantur. illa tamen lex iam pridem contrario vsu est abrogata. Tales enim ludj maximè rationem ludi habent, quia animum attentione non fatigant, & incerto euentu excitant ac recreant. Qui autem multa attentione opus habent, vt est ludus latruncolorum, pessimi sunt ad finem ludi, vt Caietanus ait; ad vitandum tamen otium optimi. Vnde huiusmodi numquam vetiti; quia vitatio otij maximè necessaria. Sextò, Ratione modij vt si quis vtatur fraude contra leges ludendi, de quò suprà lib. 2. cap. 26. d. 2.

Defectu quoque in his peccari potest. Primò, Quando quis eget hac animi remissione, & eam præ austeritate animi non vult admittere. Secundò, Quando alijs sua austeritate molestum se exhibet, honestos eorum ludos & iocos non admitteus: hoc tamen vitium minus est peccatum quam excessus: sicuti minus malum est nimis aspernari voluptates, quam nimis easdem sectari. Tales vocat Aristoteles libro 4. Ethic. cap. 8. σκληρὸς ἢ ἀγγίος, duros & agrestes: & qui iocis excedunt, βωμολόχους, scurriles.

DYBITATIO XIV.

De modestia circa res externas, & præsertim ornatum corporis.

D. Thomas q. 169.

100 Sicut circa motus & gestus externos tum in serijs tum in ludicris versatur quædam virtus & vitium, eò quòd secundum normam rationis vel contra temperari possunt: ita circa exteriorem apparatus & cultum (quatenus hic nostris actionibus, & consequenter dispositioni rationis subest) est virtus quædam, quæ est species modestiæ, & vocari potest modestia cultus. Ea sic definitur potest: Modestia cultus est, quæ in rerum externarum apparatus, rationis moderationem adhibet, vel sicut quæ decorum in cultu corporis, & alio rerum externarum apparatus seruat.

101 **Materia.** Materia huius virtutis est, remota quidem, externus apparatus, consistens maximè in cultu ornatuque corporis, domus, suppellectilis, & conuiuiorum: proxima verò sunt nostræ actiones, quibus ista procuramus & vitur. **Forma.** Forma verò, quam huic materiæ imprimit, est congruentia ad personam, ad receptam consuetudinem, ad tempus, locum, negotium præfens, &c. Facit enim hæc virtus, vt exterior apparatus talis sit vt congruat personæ, spectatæ in ordine ad consuetudinem, locum, tempus, & reliquas circumstantias, idque ex affectu honestatis, quæ in ea re elucet. si enim alio affectu fieret, non esset actus huius virtutis, nisi ratione materiæ.

Peccari contra hanc virtutem circa eandem materiam potest per excessum, & defectum.

1. Per excessum. Per excessum dupliciter. Primò, Ratione ipsius cultus, nimirum quando per se talis est, vt non congruat receptæ consuetudini proborum in tali loco. Quòd pertinet omnis insolentia apparatus in

conuiujs, in vestibus, & similibus, à peregrinis gentibus mutuata, & à consuetudine patriæ abhorrens: & quidquid in loco vbi vitur, censetur supra conditionem status; vtrumque enim est inordinatum, & vanitatem vel delicias redolens. Accedit etiam quòd turpis sit omnis pars suo vniuerso non congruens, vt dicit D. Augustinus lib. 3. Confess. cap. 8.

Secundò, Ratione affectus ipsius hominis, qui istis rebus ambitiosè, deliciasè, vel luxuriosè vitur. vnde D. Augustin. lib. 3. de doct. Christ. c. 12. ait: *In omnibus talibus (scilicet externis) non vsus rerum, sed libido vitentis in culpa est.* Et infra: *In omnibus rebus, non ex earum rerum natura, quibus vitur, sed ex causa vitendi, & modo appetendi vel probandum est vel improbandum quod facimus.* Potest autem iste affectus esse inordinatus, vel ex parte finis, vel ex parte agentis. Ex parte finis, vel propinqui & quasi intrinseci; vt si ex cultu corporis quærat vanam gloriam apud homines, vel delicias apud se (ad vtrumque enim horum cultus corporis referri potest: quia est corporis & ornamentum & fomentum: vt ornamentum, ad vanam gloriam, vt fomentum, ad delicias.) Vel ex parte finis remoti & extrinseci; vt si per talem cultum intendat pellicere ad impuros amores.

Ex parte agentis affectus est inordinatus, quando nimium studium in huiusmodi rebus ponitur, vt sæpè faciunt feminae, aliquot horas in se ornandis ponentes; & molliculi iuuenes vt femina comiti: hoc ad quamdam curiositatem pertinet. sed hæc inordinatio rarò est sola; quia ferè semper ad vanam gloriam, vel delicias, vel ad libidinem, vel ad hæc omnia simul ordinatur.

Per defectum quoque dupliciter hæc peccatur. 104 Primò, Ex parte agentis, ratione negligentia; cum quis præter decorum, in cultu corporis & rerum suarum est negligentior. Secundò, Ex parte finis, vt si ex vilitate cultus quærat vana gloria, quod ad hypocritism pertinet. De quo D. Augustinus lib. 2. de Serm. Domini in monte, cap. 19. *In hoc, inquit, capitulo maxime aduertendum est, non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis foribus luctuosos esse posse iactantiam; & eo periculosiorem, quò sub nomine seruitutis Dei decipit.* Idem lib. 3. de doct. Christ. cap. 12. *Qui quis, inquit, rebus prætereuntibus restrictus vitur quam sese habent mores eorum cum quibus vitur, aut temperans, aut supersticiosus est. Superstitiosum vocat, quòd putet huiusmodi re externa numen coli, quæ ille ad vanam gloriam abutitur.*

Quod ad rationem peccati attinet, Aduertendum est esse peculiarem difficultatem de excessu ornatus feminarum per pigmenta & comam apposititiã, per intortos capillos, per pectoris nuditatem, per ornamenta aurea & gemmata, per nouas vestium formas; præsertim si his vitantur supra statum, vel præter receptam consuetudinem. Videtur enim talis excessus per se esse letalis, etiam si nullus malus finis extrinsecus intendatur. Primò, Propter scandalum, quia talis ornatus allicit intuentes ad libidinem, & istarum concupiscentiam. Secundò, Quia adulterant opus Dei, & illud emendare volunt; quod in iniuriam cedit auctoris. Tertiò, Quia Scriptura & Patres hunc excessum grauiter reprehendunt: nam i. Pet. 3. sic dicitur: *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circudatio auri, aut indumentis vestimentorum, & cultus,*

102
Si ex affectus inordinations.

103

104
2. Per defectum.

105
De ornata feminarum.

Circa videri posse peccatum mortiferum.

vbi

vbi prohibetur cultus, id est, ornatus (Græcè *κόσμος*) capillaturæ, monilium aureorum, & indumentorum. In quem locum Glossa ex Cypriano: *Serico & purpura induta Christum sincere induere non possunt: auro & margaritis adornata & monilibus, ornamenta mentis & corporis perdiderunt.* Et 1. ad Tim. 2. *Similiter & mulieres in habitu ornato, (id est, decore) cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis criminibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.* Cyprianus libro de disciplina & habitu virginum, *Ceterum, inquit, si tu te sumptuosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te inuenturis illicias, suspiria adolescentium post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, suspirandi fomenta succendas; ut, etsi ipsa non percas, alios tamen perdas, & velut gladium te ac venenum videntibus prabeas: excusari non potes quasi mente casta sis, & pudica.* vbi agit contra illas, quæ etiam nullo malo fine se ornant, & vult id esse non solum scandalum, sed etiam contra castitatem. Idem docet, artem fucandi à diabolo mortalibus traditam. Illi, scilicet demones, & oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crimem, & expugnare omnem oris & capitis veritatem, corruptela sua impugnatione docuerunt. Deinde ostendens per hoc Deo fieri iniuriam, ait:

As fucandi inuentum demonum.

Fit iniuria Deo.

Manus Deo inferunt, quando id, quod ille formauit, reformare & transfigurare contendunt, nescientes quia Dei opus est omne quod nascitur, diaboli quocumque mutantur. Declarat id exemplo periti pictoris, qui iure indignatur, si quis imperitus opus eius iam perfectum emendare velit. deinde addit: Tu te existimas impudè iuram tam improba temeritatis audaciam, Dei artificis offensam? Ut enim impudica circa homines, & incesta fucis lenocinantibus non sis; corruptis violatisque qua-

Pior adultera.

Dei sunt, peior adultera detineris. & infra: Audaci conatu, & sacrilego contemptu crines tuos inficis, malo praesagio futurorum, capillos tibi flammeos auspicaris. & paulò post: Deum videre non poteris, quando oculi tibi non sunt quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit. Illum tu sectata es, rutilos atque depictos oculos serpentis imitata es, de inimico tuo compta, cum illo pariter & arsura. Quæ omnia indicant id esse peccatum mortale. Denique mortale esse videtur commutatio vestium inter virum & feminam, vt colligitur Deuteronomij 22. Non induitur mulier veste virili, nec vir utitur veste feminea: abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc: atqui non minor est inordinatio in excessu ornamentorum; ergo, &c.

106 Sententia quorundam.

Ob hæc argumenta quidam Doctores putant in tali excessu esse peccatum mortale. Primò, Quando pulchritudo quaeritur apertione pectoris & mamillarum. Secundò, Quando per fucos. Tertio, Quando curiosis, pretiosis & superfluis vestibus supra conditionem status. Ita Angelus v. Ornatu, num. 3. 4. & 6. citatque Alexandrum Halensem.

Contraria verior.

Quadruplex finis vestium.

Sed contraria sententia est communior Doctorem. Pro qua Notandum est, Cultum corporis posse ordinari ad quatuor fines. Primus est, Fovere corpus, & contra iniurias aëris defendere. Secundus, Tegere verecunda natura. Ex his duobus illud est necessitatis, hoc communis honestatis. Tertius est, Ornare hominem secundum suum

statum. Quartus, Efficere pulchrum, & delectabilem aspectu. His positus,

Dico Primò, Quis potest petere & procurare cultum corporis non solum necessarium ad corporis fomentum & tegumentum; sed etiam ad sui status decorum, nimirum vt pro conditione sui status decorè compareat. Ratio est, Quia hoc est laudabile: contrarium verò dedecorosum. Dicitur enim ratio, vt in vita politica membra singula in suo ordine se aliis accommodent, vt aptè sibi mutuo respondeant, & decorè inter se versari possint. Item vt suum statum in Reipublica ornent. Hinc viri nobiles & Magistratus vtuntur splendidioribus vestibus quam alij, vt suam nobilitatem, vel officij dignitatem declarent. Sic in rebus diuinis adhibent sacerdotes pretiosum apparatus, ad declarandam officij illius excellentiam, & maiestatem eius cui feruiunt.

Dico Secundò, Præter hos fines possunt mulieres matrimonio iunctæ, vel ad id aspirantes, in cultu corporis intendere etiam ornatum pulchritudinis. Ita D. Thomas art. 2. ad 4. vbi dicit: *Mulieres licite posse se ornare, vt conseruent decorem sui status; (quod pertinet ad finem tertium) vel etiam aliquid superaddere vt placeant viris.* Vbi aperte præter ornatum necessarium ad decorum status, permittit ornatum, qui fit ob solam pulchritudinem. Idem docet Caietanus in illum locum, Nauarrus cap. 23. num. 18. & sequentibus, & alij passim.

Probatur Primò, Quia sicut in viris commendatur robor corporis, & forma masculina, ita in feminis pulchritudo, vt à viris suis amentur, eoque ab extraneis auertant, & ad opus coniugale aspectu sui alliciant: vnde natura pulchritudinem in feminis posuit, tamquam propriam illius sexus dotem, & veluti illecebram amoris & officij coniugalis, & delectabilioris conuersationis: ergo femina potest eam desiderare ac procurare, & si minor sit, arte iuuare & augere; ita tamen vt in ea re modum non excedat.

Secundò, Quia vxor potest appetere viro suo placere, & ea de re esse sollicita. Vnde Apostolus 1. ad Corinth. 7. *Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro: atqui inter cetera, quibus maximè viro placere solet mulier, est pulchritudo.* Vnde sequitur, etiam eas, quæ nondum nuptæ sunt, sed nubere cogitant, ornamenta pulchritudinis sibi posse adsciscere, vt virorum aspectibus placeant, ad commodas nuptias consequendas; nam iusta ratio subest: secus est in ijs, quæ nubere nolunt; præsertim si votum non nubendi habeant: hæ enim non possunt se, vt viris placeant, ornare; quia causam ad hoc non habent. imò hoc esset illis dare incentiuum peccandi, vt D. Thomas ait.

Confirmatur vtrumque ex diuo Augustino Epist. 73. ad Possidium: *Nolo, inquit, de ornamentis auri vel vestis prapropere habere in prohibendo sententiam, nisi in eos, qui neque coniugari, neque coniugari cupientes, cogitare debent quomodo placeant Deo. vbi non vult huiusmodi ornamenta facile prohiberi coniugatis, aut ad coniugium aspirantibus, quod sine peccato his vt possint; sed ijs tantum, qui coniugium nolunt: quia in his non subest iusta ratio vtendi.*

Si tamen istæ sese ornent non vt à viris concupiscantur, sed vt censeantur inter pulchras, & laudat.

107 Ornatu decori.

108 Ornatu pulchritudinis.

109

laudantur vt pulchræ, non peccant mortiferè, vt apertè docent D. Thomas & Caietanus locis citatis, Siluester v. Ornatus, qu. 4. Rosella n. 12, Fumus num. 1. Nauarrus cap. 23. num. 18. quamuis in eo notabiliter modum excedant, vt Caietanus & Nauarrus notant. Ratio est, Quia id per se non continet grauem inordinationem, sed solum iactantiam & vanam quamdam gloriam. Pari ratione non est peccatum mortiferum in adolescentibus & viris, pulchritudinis esse studiosum, si nullo alio malo sine, sed solum ex simili vanitate id fiat. Est tamen in his magis reprehensibile; quia feminarum est, non virorum, pulchritudinem affectare: vnde etiam Ethnici id turpe iudicabant, iuxta illud:

Sint procul à nobis iuuenes vt femina compro.

110 Dico Tertio, Excessus in hoc ornatu per se non est peccatum mortale, sed solum veniale. Ita expressè diuus Thomas & Caietanus supra, & reliqui locis citatis.

Probatur Primo, Quia quando aliquid non est per se malum, sed indifferens, excessus in appetitu vel vsu illius, (seposita omni alia malitia extrinseca) non est nisi peccatum veniale; vt patet in appetitu & vsu diuitiarum, honorum, voluptatum. vnde & excessus in potu non est peccatum mortale, nisi ratione nocuenti quod infert, priuando vsu rationis, &c. atqui esse pulchrum, lautum, splendidum in cultu corporis, per se non est malum, sed indifferens: ergo inordinatio, quæ est in nudo excessu istorum, non est mortifera; sed pertinet ad quotidiana peccata, quæ homines in amandis vtendisq; temporalibus plerumque solent committere: difficile enim est in huiusmodi mensuram rationis seruare.

Secundo, Quia talis excessus neque est contra charitatem Dei, neque proximi, neque ipsius vtentis; neque enim honor Dei læditur, nec proximus, nec ipse vtens: & potest quis cum tali excessu seruare præcepta Dei & Ecclesiæ, & suæ salutis curam gerere: ergo non est peccatum mortiferum.

111
De pigmentis.

Nec refert quòd adhibeatur fucus & varia pigmenta, & ita interueniat quædam fictio, qua inuentus decipiuntur. quia fictio, quando in nullius cedit detrimentum, non est mortifera. Deinde non est propriè fictio, nisi id fiat eo fine vt inuentus putent hanc colorem esse natium: at plerumque non eo fine id faciunt, sed solum vt sint & appareant pulchræ, abstrahendo à causa vnde id proueniat: vnde etiam fieri potest vt sine peccato vtantur. Primo, Causa tegendæ alicuius maculæ. Secundo, Si maritus iubeat, nimirum vt vxor inter alias magis decora appareat: etsi enim mariti non cupiant adulterina illa fallacia decipi, vt diuus Augustinus loquitur, sæpè tamen vxores suas cupiunt sic ornari. Tertio, Si aliqua alia rationabilis causa subit: sicut Iudith & Esther omni genere ornamentorum sibi pulchritudinem conciliarunt, quam & ipse Dominus adauxit. Et quamuis fortè aliqui decipiuntur, putantes illam pulchritudinem adscititiam esse natiam, parum id refert: tum quia deceptio non est intenta, sed permilla; & vsus istorum est aded frequens, vt inmentes facillè illud artis mangonium possint suspicari: tum quia etiam deceptio esset intenta, parum interesset, cum sit innoxia, nec limites mendacij officiosi excedat. Denique pingere

faciem, eiq; varios colores inducere, non est per se malum, sed indifferens: similiter per hoc intendere pulchritudinem, & artificio iuuare ac exornare opus naturæ: ergo nihil hic est mali, nisi ratione excessus in affectu & vsu rei indifferens: qua in re non est peccatum mortiferum, vt ostensum est. Idem dicendum de vsu comæ adoptiuæ, sutilisq; capillamenti, vt Tertullianus loquitur. Sicut enim pellibus & crinibus animantium ad ornatum vti licet, ita etiam capillis humanis arte compositis.

De vsu vestis pretiosæ, annulorum, catenarum, & aliorum monitium, horumque multitudine & varietate, eadem ferè est ratio; excessus enim in his solum est peccatum ratione profusionis opum, & inordinati affectus erga pulchritudinem. Itaque sicut in his non est per se peccatum mortale, ita nec in illorum vsu. Nec refert, etiam si forma sit noua, & non vsitata eo loco: quia etiam si maius tunc sit peccatum, eò quòd aliis datur exemplum vanitatis; non tamen est per se mortale, ob rationem supradictam. Vnde nec inuentores nouarum formarum mortiferè peccant, quia illæ formæ per se malæ non sunt; & bonum vsu habere possunt, etiam si multi abutantur ad vanam gloriam vel alium prauum finem.

Dico Quarto, Potest tamen in excessu istius ornatus esse peccatum mortiferum per accidens, ratione alicuius prauitatis connexa.

112
Quando sit peccatum mortiferum.

Primo, Ratione mali finis, vt si fiat animo pertrahendi ad libidinem.

Secundo, Ratione præcepti positui, vt si talis excessus esset vetitus aliqua lege sub pœna excommunicationis, eaq; seruaretur. Quòd si lex non habeat annexam pœnam, vel saltem non grauem, non erit plus quàm veniale: imò credibile est, plerasque leges ciuiles de huiusmodi, quæ passim variis locis habentur, esse solum pœnales, & obligare tantum ad multam.

Tertio, Ratione scandali; vt si quis vteretur veste aded tenui, vel ita conformata, vt per eam pudenda non satis tegerentur: id enim iudicio morali non tam esset pulchritudinem ostentare, quàm homines directè ad libidinem allicere. Secus est in nudando pectore, vt Caietanus, Fumus, & Nauarrus notant; præsertim vbi est ea consuetudo: nam pars illa honesta censetur, nec natura, aut pudor humanus postulat illam absolute regi. Graue tamen peccatum esset huiusmodi morem introducere vbi id non est consuetum; insolita enim magis mouent: & res ipsa meritò ob periculum, etiam vbi est recepta, tamquam illicitum libidinis esset abroganda, vt DD. monent.

Notandum tamen, non ex eo cenferi ornatum scandalosum, quòd multi occasione illius putentur ad praua delideria prouocandi, vt rectè prædicti DD. tradunt: alioquin etiam pulchritudo naturalis scandalosa esset: nam multo magis prouocat quàm artificiosa; cum natura longè superet artem. Itaque etiam si femina putet aliquos peccaturos, non tamen idcirco sub peccato mortali tenetur talem ornatum dimittere: sicut is qui à multis odio habetur, non tenetur à publico abstinere vt inimicis non detur occasio odij. Ratio est, Quia ornatu iste solum remotè ad malum prouocat: ergo non tenetur ab eo abstinere ne alij peccent: alioqui perpetuò abstinere deberet, (cum illa occasio sit perpetua & vniuersalis,) quod nimis

113
Ornatus scandalosus.

mis graue esset humanae conditioni. sufficit igitur vt ei peccatum proximi displiceat: & illius salutem non contemnat. Et confirmatur; quia quod illi peccent, ex eorum prouenit malitia, non ex conditione ornatus: sicut enim circa hanc peccant, ita etiam circa alias eximiae pulchritudinis: atqui id quod ex aliorum malitia prouenit, non tenemur cum tanto grauamine nostro impedire. scilicet si aliquo casu ad breue solum tempus ob peculiare periculum alicuius abstinendum esset: tunc enim charitas postulare vt pro eo tempore talem ornatum superfluum omittam, ne proximus, qui aliquin putatur non peccaturus, inde peccandi occasionem habeat.

Quarto, Ratione contemptus proximi; vt si quis ita propter ornatum se extollat, vt proximos despiciat, vel affectu ornatus proximi salutem nihili pendat, non curans an scandalizetur, an non.

Quinto, Ratione effectus; vt si ornatus esset illi causa furandi, non soluendi debita, non dandi eleemosynam, quando sub peccato mortali tenetur.

Sexto, Ratione affectus; si nimirum ita afficiatur ornatus, vt in eo vltimum finem colloct: siue vt paratus sit propterea mortifere peccare: qui modus ceteros ferè complectitur.

II 4
Responde-
tur ad ra-
tiones.

Nunc ad rationes respondendum. Ad Primam: Patet responsio ex dictis; ostensum enim est, id per se non esse scandalosum. Ad Secundam: Non proprie dicitur adulterare opus Dei, quia non facit illud deterius, sed solum facit videri pulchrius. neque id facit intentione emendandae artis diuinae, vel operis Dei, quae Dei est; sed splendidi defectus naturae, vel iuuandi opus naturae, quae naturae est. Potest enim naturali pulchritudini aliquid ab arte apponi, & naturae per artem iuari. Ad Tertiam: Scripturae illae vel continent ex-

hortationem, cum nullum verbum praecipuum habeant; vel si continent praecipuum, agitur de illis, quae se ornabant vt alijs placerent, vt notat diuus Thomas ex Glossa: vel certe propter adificationem Ethnicorum expediebat illo tempore praecipui. Cyprianus vero loquitur de illis, quae ornabant se propter lasciuiam, vel in contemptum Dei, vt D. Thomas ad secundum ait; vel quae id faciebant cum contemptu salutis proximi, quo modo primum eius testimonium videtur intelligendum. Adde, illis temporibus propter exemplum Ethnicorum, huiusmodi moderationem fuisse magis necessariam, ideoque potuisse a Praelatis Ecclesiae praecipui. Ad Quartam: Vnus vestis alieni sexus non est intrinsece malus: vnde ob causam iustam fieri potest, verbi gratia si alia desit, vel opus sit se occultare ab hoste, vel causam representationis, vt in comedijs; si ex leuitate fiat, erit peccatum veniale. Nec obstat locus Deuteronomij; quia pertinet ad carimonias vel politiam illius populi. vide D. Thomam ad tertium, & Caietanum ibidem.

Ex his patet quomodo confessarij se in huiusmodi gerere debeant: etsi enim omnes sint hortandi ad moderandum cultum corporis, totumque externum apparatus iuxta conditionem sui status; (*nam verus ornatus Christianorum & Christianarum non fucus mendax, non auri vestisque pompa, sed mores boni sunt;* vt ait diuus Augustinus epist. 73.) non tamen aliquis cogendus est superfluum ornatum deponere, denegata ei absolute, nisi constet aliunde connexum esse peccatum mortale: quod ex praedictis causis est iudicandum.

Haecenus de temperantia; atque hinc esto finis totius de Virtutibus cardinalibus tractationis, ad gloriam eius, qui virtutis omnis largitor est, conseruator, adiutor, altor, & merces.



APPEN-